
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

53,-42 4°

(LN bis 412)

DA BOK

Samlingsbd.
a-b

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Dem Hochwürdigsten, Durchlauchtigsten, Hochge-
bornen Fürsten und Hern, Hern Johan Adolffen,
Postulierten und erwelten zur Ertz und Bischoffen
der Stiffte Bremen und Lubeck, Erben zu Nor-
wegen, Hertzogen zu Schleswig, Holstein,
Stormarn und der Dithmarschen, Graffen zu
Oldenburgk und Delmenhorst, Seinem gne-
digsten Hern, zur bezeigung seiner unterthe-
nigsten observantz, verehret diss buchlein

Domini 1596

A°. Ætatis 71.

Henricus Ranzovius

EPIGRAMMATVM HISTORICVS LIBER;

Continens Encomia Heroum, Imperatorum, & Ducum, ſuperioribus, & noſtro ſeculo, virtute bellica maximè illuſtrium, quos in arce ſua Bredenberga depingi, & verſibus partim à ſeipſo compoſitis, partim hinc inde collectis ornari curauit

HENRICVS RANZOVIVS.

Item de claris & fortibus aliquot viris antiquæ & nobilis familiæ Ranzouicæ, qui quadringentis hucuſque annis pace & bello floruerunt:

AVCTORE

HENNINGO CVNRADINO GAMBRIVIO.

Inſertis Elogiis & Epitaphiis, quæ in quorundam Ranzouiorum monumentis leguntur; cum Appendice rerum aliquot memorabilium.

ANTVERPIAE,
Ex officina Chriſtophori Plantini, Architypographi Regij, M. D. LXXXI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]



IN EFFIGIEM HENRICI RANZOVII.

Hæc eſt Henrici Ranzoo ſanguine nati
Effigies, viuis conſpicienda notis.
Nobilis hunc decorat non tantùm ſtirpis origo,
Sed quoque virtutum non moriturus honor.
Præditus ingenij variis eſt dotibus ampli,
Quas tribuit tanto docta Minerua viro.

W. 9450
B.R.H.
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

NOBILI AC STRENVO VIRO, D. HENRICO RANZOVIO, D. IOHANNIS EQ. AVRATI F. REGIO IN *Holſatia Vicario, & Conſiliario, Præfecto arcis Segebergæ, Domino Bredenbergæ, &c. S. D.*

DVo ſunt potiſsimùm, nobilis Domine, quibus præclara hominum facta, & virtutum exempla celebrari, & ad poſteritatem tranſmitti, à multis creditum eſt: opera nimirum ſolerti arificum manu effecta; & literarum monumēta eruiti ingenij ſtudio elaborata. Inde quondam apud eteres tot Pyramides, inſano pleræque ſumptu xtructæ, Mauſolæa, Labyrinthi, Coloſſi, ſtatuæ & olumnæ ſpectatæ: hinc tot trophæa, & in triumhis vrbium effigies geſtatæ ſunt, quibus viri mani, & gloriæ cupidi, immortalitatem nominis ſe onſequi poſſe exiſtimauerunt. Alterius generis nō a multa erudita opera extiterunt, ſed aliquot tahen iudiciis ſummorum virorum comprobata quę

vetuſtatem ferre potuerunt, & per multa ſecula inter vaſtitates, imperiorum ruinas, & rerũ publicarũ euerſiones, ad noſtra tempora peruenerunt. Etſi enim omnibus temporibus viri eruditi, & magnis præditi ingeniis fuerint: tamen ſine diſcrimine non æquè omnes laudibus ornarunt: verùm, delectu habito, dignis hominibus, imò virtuti ipſi eum honorem detulerunt. Quanto autem literarum monumenta aliis operibus, ſtatuis, pictis tabulis, præſtantiora ſint, id facilè ex officio, rationis videlicet & manus, deprehenditur: Manus quidem imitando quarumlibet rerum corpora ſolerter effingit: at formæ eiuſmodi mutæ & mortuæ tantùm ſunt: eſtque hæc non aliud quàm inſtrumentum rationis: Mens verò pulcherrimas eaſq; viuas & loquẽtes virtutum imagines format, cogitationes exprimit, earumque honeſtas actiones quaſi in tabula repræſentat, & ob oculos ponit, quæ admirabilem animos hominum permouendi habent efficacitatem: ad quam rem vtitur ratio oratione vel eloquẽtia, quo dono in natura hominis præter mentem ipſam, nihil eſſe poteſt diuinius. Mens itaque quantũ à corpore diſtat, aut etiam vmbra à corpore, loquẽs à muto; tantum ingenioſum, & eruditum aliquod ſcriptum, à quocumque opere, manu quantumuis artificioſa elaborato, ſiue tabulæ ſiue ſtatuæ ex quacumque materia factæ fuerint, differre omninò ſtatuendum eſt. Præter hanc dignitatem, qua nulla

excellentior eſt, illud etiam conſiderandum venit, ſi diuturnitas vtrorumque operum mẽtis, & manus ſpectetur, hanc longiſſimè ab illa ſuperari. Hinc de ſuis Odis audet Horatius dicere: *Exegi monumentum ære perennius*. Quod enim æs, quod marmor, quæ columnæ, quæ ſtatuæ, vetuſtate cum manſuris hiſtoricorum præſtantium & Poëtarum monumẽtis comparari poſſint? Videmus equidem longinquitate temporis pręclara artificum opera, in quibus magni viri præcipuam immortalitatis ſui nominis ſpem repoſuerant, ante multa ſecula conſumpta eſſe: Et niſi literæ ſubſidio veniſſent, ne quidem nomina eorum amplius extarent. Debent igitur, & ipſa artificum, pictorum, & ſculptorum monumenta literis bonis famam omnem, & ſi quam nacta ſunt aliquando in terris immortalitatem. Verùm hîc non inſtitui integram de vtriſque monumentis tractationem, quæ terminos epiſtolæ exceſſura eſſet: hoc tantum addam, magnam eorum eſſe vim, & ſingulari conſilio ea ab antiquitate, honeſtæ laudis cupida, inſtituta & conſeruata eſſe. Hinc Themiſtocles, Miltiadis ſpolium ſe non dormire eſſe paſſum, generoſa voce teſtatus eſt. Scipio Africanus ſigna & ſtatuas maiorum eſſe calcaria ad virtutem affirmare eſt ſolitus. Vnde patet, quibus cauſis moti vete-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

res, monumentis vel publicè erectis, vel ſcriptis ſingulariũ virtutũ memoriã ſtudioſe retinere, & inuiolatè cõſeruare tãtoperè conati fuerint. Etenim cupiditas glorię, heroicis animis ingenerata, eoſq; ad egregia facta extimulans, & quaſi inflãmans, maximam laudem apud omnes haud ſiniſtrè iudicantes, meretur. Propter has cauſas, Nobilis Domine, voluntas & inſtitutum tuum laudandum, & omnium calculis approbandum eſt, quòd præter totius vitæ tuæ præclariſſima ſtudia, & omnis generis virtutum exempla pulcherrima, gentilibus tuis, aliiſque hominibus, qui optimarum rerum cupiditate flagrant, ante oculos imitandos proponis, maximos viros, eximiæque virtutis, & induſtriæ; quorum, etſi illi ante multa ſecula & annos humanis rebus exempti fuerint: vita tamen, actiones, conſilia, & mores non tantùm alios erudiant, admoneant, & currentibus calcar addãt, verùm-etiam in cœpto virtutis curſu confirment, & retineant. Ad quam rem plurimi faciunt imagines etiam Heroum illuſtrium, & ducum, quas ſingulari arte ad viuum exprimi, & in tua arce Bredenberga ſpectandas collocari, cum eruditis & argutis Epigrammatibus, curaſti: neque id ſolum, ſed partem etiam illius præclari ſtudij publicam fieri paſſus es; nimirum vt inſcriptiones, cum aliis rebus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

rebus ex Philoſophiæ penetralibus deſumptis, typis loco illuſtri excuderentur: & hoc modo aliis à tua aula remotis communicari poſſent. Quod etiam antiquis monumentis partim vetuſtate collapſis, partim obliuioni traditis, maiorum tuorum, qui tum bellica virtute illuſtres, tum pacis ſtudio clari & inſignes habiti fuerunt, memoriam renouare, & quaſi ab inferis reuocare, primus in familia tua conatus es, propriiſque virtutum exemplis nobiles, & præclaræ ſpei & indolis iuuenes ad eximiorum factorum amorem & imitationem inuitare, pro hac ſuſcepta cura & labore, gentiles etiam tui, aliique docti homines magnam tibi habent gratiam. Ad hanc etiam voluntatem, & ſtudium inſtigandi videlicet alios, quocumque modo id fieri poſſit, ad virtutem, non minimum momenti & hæc, quæ varia, & inſignia ſunt, tam bellicæ, quàm togatæ virtutis exempla eorum, qui in veſtra familia à multis iam ſæculis excelluerunt, afferent. Quantus verò labor hic fuerit, ex ipſa antiquitate, & quaſi ruderibus hæc ſumma cura eruendi, non iudicare poſſunt, niſi illi, quibus ſimilia ſtudia aliquandò cordi fuerunt, quibuſque ſempiterni nominis fama, ex ipſa honeſtate quæſita, nihil vnquam fuit antiquius. Neque vlla egregia ſunt ſtudia, quorum tractatione, non tantùm filios

tuos, verùm reliquos omnes nobilitatis veſtræ iuuenes, veluti facem præferens, ad veram amplectendam virtutem non impellas, & incites, cum ſingulari eorum fructu & futuræ laudis, dextreq́ue in grauiſſimis negotiis verſandi expectatione, qui ad rerum gubernacula impoſterum à regibus & principibus adhibendi fuerint. Quod enim ſtudiorum genus, à ſummis viris vſurpatum non pertractaſti? Vt nihil de peritia rei militaris, belliq́ue laboribus, in quibus ante multos annos ſatis exercitatus es, dicam. Quis nõ admiratur ſcientiam tuam, operam indefeſſam, ingenij acumen, & dexteritatẽ in iis artibus, quæ olim tantùm regum & principum fuerant, ſolæq́ue nobilibus ingeniis dignæ videntur? Aſtronomiam dico, & Medicinam, in quarum vtraq; perſcripta, & edita à te iamdudum ſingulari cura & iudicio, & ſermonis genere verè Romano, volumina declarant & demonſtrant, te non tantùm inſigni ardore pulcherrimarum rerum teneri, ſed penitus ea perſpexiſſe, quæ multi alij, qui ad docti viri nomen adſpirant, & ad illud velis equiſq́ue contendunt, omnemq́ue ætatem in eo collocant, vix conſequi potuerũt. Quis tuam in maximis rebus adminiſtrandis in ampla tua & difficili gubernatione prudentiam, moderationem, & æquitatem non ſuſpicit? Quis in lite-

rarum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

rarum, totiusque adeò Philoſophiæ cultoribus iuuandis, fouendis, & ornandis beneficentiam, liberalitatem & humanitatẽ hoc muſis & omnibus ſtudiis humanioribus, iniquiſſimo ſeculo, nõ experitur? Te duce, aduerſus irrumpentem Barbariem quotidie auxilia omnes eruditi homines in his terris ſibi comparant, ſeſeque iis muniunt præſidiis, quæ ſi firma manſerint, non adeò illud monſtrum hiſce regionibus metuẽdum eſſe exiſtimemus. His, aliiſq; virtutibus magno viro dignis, cùm in tua familia aliis bene natis ingeniis pręfulgeas, Deo Opt. Max. pro hoc beneficio nos meritò agimus gratias, qui hoc turbulẽtiſſimo omnium fermè rerũ ſtatu excitat adhuc aliquos, quibus vera virtus, & eruditio cordi ſint, eoſque complectãtur, quos literarum ſtudio deditos eſſe nouerint, vtque eiuſmodi viros Philoſophiæ, & Muſarum tutores & patronos quàm diutiſſimè incolumes conſeruet, omnibus votis petimus. Hunc autem tenuem meũ laborem, quem quibuſdam in hoc libro epigrammatibus ſcribendis impendi, ad quem & familiæ veſtræ celebratæ, & fortiſſimorum virorum virtutes, qui ante aliquot annos feliciter hac vita emigrarunt, ſponte ſua me impulerunt, & ita muſas meas excitarũt, benigno te vultu accepturũ pro ea tua, quæ perpetuò omnibus bonis perſpecta eſt, humanitate

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

mihi planè perſuaſum habeo. Cogitabis etiam, nobilis Domine, non tantùm ſuperſtites, in tua familia præſtãtes viros & iuuenes tibi hoc nomine plurimum debere, & præſtitam hanc operam à te laudibus efferre, verùm etiam pios, immortales & feliciſſimos maiorum tuorum, patris tui, liberorũ, fratris, & propinquorum manes, quorũ memoriã poſteritati, tuo labore & ſtudio religiosè cõſecrare voluiſti, hoc dulci & pietatis pleno officio tuo impensè gaudere & lætari, & in loco beatorũ omnis mali & triſtitiæ expertes de tuis virtutibus, & honeſtiſſima hac voluntate inuicem mutuis ſermonibus diſſerere, & inter ſeſe, cum vera, & nullo dolore vel mixta vel impedita animorum oblectatione cõmunicare, ſibiq́ue in cęleſtium cœtu, de tam grato generis ſui alumno gratulari. Vale, & erudita ſtudia ornare & augere, id quod facis, non deſine.

Datæ Bredenbergæ Calend. Nouembris
Anno cIↃ. IↃ. XXC.

H. Conradinus Gambriuius.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

EPIGRAMMATVM HISTORICVS LIBER;

In aliquot Heroas toto Orbe Terrarum clariſſimos, qui in Arce Bredenberga viſuntur, Henricvs Ranzovivs ad ſpectatorem.

SCIPIO *cùm Romæ ſtatuas ſpectaret auorum,*
Hæc ad virtutem ſunt mihi calcar, ait:
Hos quoque quis ſpectet referentes inclyta facta?
Seq́; aliquo tangi laudis amore neget?
Quanquam diuerſis ſint in regionibus orti,
Omnes æternum promeruere decus.

Ioſua, Dux populi Iſraelitici.
H. R.

Aſpice, Nunnides ego ſum, qui maximus armis,
Pro populo geſſi bella cruenta meo.
Promiſſamq́; diu, cæſis cultoribus enſe,
Diſtribui iacta ſorte, dediq́; plagam.
Triginta numero Reges, quis credat? & vnum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Hæc mea diuina dextera fudit ope.
Et mihi Iordanis tacitis immobilis vndis,
Solq́ retardatis conſtitit altus equis.
Eſſe typum Chriſti factis & nomine, quiſquis
Me putat, hic, ſeſe quo tueatur, habet.

Aliter H. R.

Ioſua terdenos reges, vnumq́ peremi,
Occupo promiſsi dum fera regna ſoli.
Sol quoque biſſenis lucens immobilis horis
In medio cæli, me cupiente, ſtetit.

Dauid Rex Iſraëliticus. H. R.

Paruus eram, pecudumq́ gregẽ per rura ſequebar,
Extulit ad regni de grege ſceptra DEVS.
Et leo prædator, violentus & vnguibus vrſus,
Occiſi manibus procubuere meis.
Ore Philiſtæus terram indignante momordit,
Immanem letho quem mea funda dedit.
Laberis in crimen quiſquis malè prouidus ingens,
Ne venia culpam crede carere tuam.
Me quoq; mens in grãde ſcelus cæca impulit, at non
Gratia lugenti ſacra negata fuit.

Aliter, H. R.

Sum Dauid quondam caulæ, nunc arbiter aulæ,
Proq́ pedo vili regia ſceptra gero.

Gathiten

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Gathiten funda ſterno ſtridente Goliam,
Bis quino fermè qui pede longus erat.

Iudas Machabæus, Rex Iudaicus.
H. R.

Vt Leo conſpectum ruit iracundus in hoſtem,
Et ferus illata vulnera ſtrage facit:
Sic ego commotis in prœlia viribus ibam,
Pro patriæ capiens legibus arma meæ.
Excidiumq; vrbi ſacræ gentiq; minantes
Sæpe trucidaui, Marte fauente, viros.
Pulchrius eſt viſum paucos opponere multis
Vertere quàm turpi terga pudenda fuga.
Sic me conieci medios moriturus in hoſtes,
Et mihi mors voto digna reperta meo eſt.

Aliter, H. R.

En ego ſum Iudas Machabææ gloria ſtirpis,
Qui nullis vnquam terga pudenda dedi.
Pro grege proq; ſacris pulchrã per vulnera mortem
Oppetij, inde virum cuncta per ora volo.

Hector, Dux Troianus.

Argolicis terror ducibus, dum fata ſinebant,
Proq; meis murus ciuibus Hector eram.
In decimo primum quod concidit, Ilion anno,
Nemo negat factum viribus eſſe meis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Phylacides per me Antilochúſque Menœtiadéſque
Præterea plures occubuere duces.
Quid querar? vnius peruenit crimen ad omnes,
Et caput oppreßit publica pœna meum.
Fraude locum captans vita ſpoliauit Achilles,
Et rapidis circum mœnia traxit equis.

Aliter, H. R.

Murus ego patriæ pereuntis aheneus Hector,
Dimico pro Troia per duo luſtra mea:
Vulnifica multos transfigo cuſpide Graios;
Fortis at à forti victus Achille cado.

Alexander Rex Macedo, H. R.

At quis Alexandrum? quis facta perennia neſcit,
Orbe quibus toto notus ad aſtra feror?
Nomine ſicut eram magnus, ſic maximus armis,
Terga fugæ nunquam victus ab hoſte dedi.
Imperium extendi, qua decolor Indus oberrat,
Et qua Riphæas verberat aura niues.
Perſide ſe victa totus mihi ſubdidit orbis:
Sed mihi tunc orbis non ſatis vnus erat.
Mors ſatis vna fuit, luxu faſtúque tumentem
Quæ me ſub terras abſtulit ante diem.

Aliter, H. R.

Dicor Alexander factis & nomine magnus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Cui iuueni totus ſubditus orbis erat.
Par mihi nemo foret, modicè ſi vina bibiſſem:
Interitu luxum diſce cauere meo.

Caius Iulius Cæſar Monarcha Romanus. H. R.

Non ego ſum duris tantùm ſpectatus in armis,
Et mea doctrinæ nomine fama viget.
Sequana quis bello fuerim, Rhenuſque fatentur,
Et mihi cumtoto ſubditus orbe Tybris.
Quis fuerim ſceptris monumenta relicta loquũtur,
Quæq́ manu geſſi bella legenda dedi.
Nec ſatis hoc: etiam cælum ſcrutabar, & aſtra;
Hinc meus æternum permanet annus opus.
Immemores tellus homines producit vbique:
Hoc queror, hæc fati cauſa neciſque meæ.

Aliter. H. R.

Quinquagena inij collatis prœlia ſignis
Autor Romani Julius imperij:
Queîs vitam dederam, ſæua me morte trucidant:
Pro meritis reddunt ſic mala facta meis.

De C. Iulio Cæſare, Hennin. Conradinus.

Quando ſeneſcenti ſubierunt ferrea mundo
Secula, tunc ferro peruius orbis erat:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Et ferro abſtruſas perrupit Iulius oras,
Et ſummi imperij quartus hic autor erat.
Quique penetranti ſuperauerat omnia ferro
Non niſi ferri acie victus & ipſe fuit.
Cumq́; tot effuſo præmiſit ſanguine manes,
Haud ſiccum moriens ad ſtyga fecit iter.

De Cometa poſt mortem C. Iulij Cæſaris conſpecto.

Non modò te tellus luxit: quin maxime Iuli
Funeream cælum fert tibi triſte facem.

Herminius, Dux Germanorum. H. R.

Nec ducibus virtute minor, nec fortib. armis
Græcia quos iactat magnaq́; Roma, fui.
Quod nimis impenſum eſt illis, mihi defuit vnum,
Nullaq́; de factis edita ſcripta meis.
Vnicus inuentus Tacitus, qui noſtra tacere
Noluit, hunc de me conſule, certus eris.
Hic tibi narrabit: per me Germania victrix,
Vt ſit depulſo libera facta iugo:
Et duce cum Varo ſtratis legionibus, illa
In quanto fuerit Martia Roma metu.

Aliter, H. R.

Herminius Latias deleui ego Saxo cateruas,

Vix

Vix vbi prima mihi barba reſecta fuit.
Me metuens Cæſar, Vare, ô Vare, ocyus, inquit,
Redde aquilas Romæ robora, redde aquilas.

In eundem Herminium.

Conceſſum eſt multis Italas infringere vires,
Celſáq; Romulidum colla domare Ducum,
Cùm Pyrrhũ, Hannibalẽ toruũ, Cimbroſq́; potẽtes
Senſit & Argolicas, Armeniáq; manus:
At domitrix orbis ſtaret cùm maxima Roma,
Herminij primùm territa Marte fuit,
Clamauitq; metu, Quintili redde cohortes;
Imminet heu capiti gens truculenta meo:
Cùm præſaga, graues quas attulit Attila, clades
Horruit, ad Boreæ pallida ſæpe minas.

Arturus, Rex Britanniæ, H. R.

Qui vocor Arturus, me Gallia nominat Artum:
Paruit imperio terra Britanna meo.
Non me ſceptra tulit quiſquam præſtantior; illis
Egregius belli laude togæq; fui.
Nomina quæ monſtrat procerum virtute potentum
Hæc eſt, inuentum, menſa rotunda, meum.
Saxonas & Dacos domui Romanáque fudi
Agmina, quæ regno damna dedere meo.
Optima prima cadunt; ſic firmus & integer annis

Occido; me, regni ſceptra, cadente, ruunt.

Aliter, H. R.

Barbariem obiectat cum Graiis Roma ſuperbis;
Barbariem præ ſe num mea facta ferunt?
Sum pius Arcturus, nulli pietate ſecundum
Dixeris; in bello ſum leo, pace pater.

Carolus Magnus, primus Imperator Germanicus. H. R.

Quis me iure neget, Magni cognomen adeptum?
Quin titulus factis eſt minor ipſe meis.
Floruit optata ſub me duce Gallia pace:
Pannoniis fuſus concidit Hunnus agris:
Itala ſublatis tellus pacata Tyrannis;
Pulſus & eſt oris hoſtis, Ibere, tuis.
Imperij per me ſedes Germania facta:
Saxonis eſt Chriſti terra profeſſa fidem.
Me quoq; neglectis, duce, reddita gloria Muſis:
Ipſe repurgatæ nec rudis artis eram.

Aliter H. R.

Te quater octonos debello Carolus annos,
Vt celebres viuum, maſcule Saxo, DEVM:
Hic ſcopus, hæc regum belli ſit norma mouendi;
Proq; gerant aris prœlia, proq; focis.

Canu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Canutus Magnus, Rex Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ, Angliæ, & Normāniæ. H. R.

Deſine mirari quos garrula laudibus effert
Græcia, quos iactat Roma ſuperba, duces:
Danica me nulli veterum virtute ſecundum
Edidit, Hyberno terra propinqua freto:
Facta mihi Magni pepererunt inclyta nomen;
Quinque ſub imperio regna fuere meo.
Me ſibi delegit ſocerum, qui tertius orbis
Arbiter, Henricus nomine, ſceptra tulit.
Iuſtitia præclarus eram, Regéſque potentes
Subiectos docui legibus eſſe ſuis.

Aliter. H. R.

Iuſtitiæ belline prius mireris honorem
Addubites, certè par in vtroque fui.
Ipſe mihi, latæ legis reus, irrigo mulctam;
Imperiis ſubdo quináque regna meis.

Godefridus Bilionæus. H. R.

Omnibus Europæ lectis heroibus oris
Nobile ſuſcepi, Iaſonis inſtar, iter.
At mihi non Colchis, non diues velleris aurei,
Terra fuit votis ſancta petita meis.
Hanc validis armis Solymámq; recepimus vrbem,
Quæ fuerat diro capta ſub hoſte diu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Mœnibus inſilui primus ſublimibus vrbis;
Hinc data cum regno fulua corona mihi eſt:
Vrbe ſed hanc auro Solyma geſtare negaui
Qua tulit occiſus ſpinea ſerta DEVS.

Aliter, H. R.

Qui vexit fulgens ex Colchide vellus Iaſon,
Æternum Græco carmine nomen habet:
Qui pepuli è Solymis procul agmina Turcica regnis,
An non Godfridus laude vehendus ero?

Matthias Coruinus Rex Vngariæ.

Extulit hunc cælo virtutis gloria regem,
Floruit & fauſto Pannonis ora ſtatu:
Terruit hic ſæuos factis & nomine Turcas,
Mente ad ſceptra ſagax, acer ad arma manu,
Aurea quæſitis tunc Buda volumina chartis,
Quæ dederat docto, Græcia priſca, ſtylo,
Donec & hanc capiens rapidis incurſibus arcem
Congeſtas ſophiæ Turca aboleuit opes.

Maximilianus I. Romanorum Imperator. H. C.

Maxima Romani quem cura requireret olim
Imperij, & cuius maxima facta forent,
Maximáque eueheret cælo quem fama; vocatus
Maximus hic infans Aemilianus erat.

Maxi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Maxima vicerunt fatale at pectora nomen,
Maximaq́ inuictæ munera mentis erant:
Maximus hunc præfert Fabius ſibi: Iulius effert,
Maximum & AEmilij Scipiadæq́ue vocant.
Maxima nam pariter fulſerunt omnia in vno,
Imperium, nomen, pectora, facta, decus.

Carolus V. Romanorum imperator.

Non ego quòd virtute minor, ſed in ordine vitæ
Quòd ſequor, extremum ſpector habere locum.
Nam neque ſuſcepit me ſceptra potentior vllus,
Hoſte nec ex victo plura Trophæa tulit,
Africa quæ ſemper ſitiens, Europáque vidit,
Auriferóque recens terra reperta ſolo.
Sic mihi perpetuo Fortuna ſecunda tenore
Adfuit, & cœptis fauit amica meis:
Aßiduis donec curis confectus & æuo,
Inualidus fratri ſceptra relinquo meo.

Aliter, H. R.

Carolus vnanimi mūdum cum Fratre gubernās,
Romanum cogo vincula ferre Patrem.
Franciſcus capitur Ticinum Gallus ad amnem,
A me deuictus dat quoque Turca fugam.

De eodem Carolo V. Romanorum Imperatore. H. C.

Cæſareum fuluo iunctum diademate ſceptrum,
Cùm ceſſit fato, Carole diue, tibi;
Addita tunc fuerat niueis Victoria pennis,
Vt comes hæc ſanctum clauderet alma latus.
Submiſere tibi pulchrum mox Lilia florem,
Captáque te leni Cæſare Roma fuit.
Non ſatis Europæ, non Africa victa; nec vltrà
Iam tellus Aſiæ, Turcáque pulſus erat:
Quin ea quæ nobis obuertit America plantas,
Et fortunatis littora fluminibus:
Cannibaléſque truces agnoſcunt iura potentis
Cæſaris, & dominæ mitia ſceptra manus.
Quattuor imperij tanti bis luſtra fuerunt,
Quæſiit vt ſenij tempora grata ſui.
Tunc ſceptrum fratri dedit, Imperijq́; coronam,
Optans ſic placidum mortis obire diem.

Sub effigie Caroli V. imponentis fratri Ferdinando coronam, circunſtantibus Germaniæ Septem-viris.

Si tibi plus vltrà placuit contendere Cæſar,
Ad foſſas Metis non bene caſtra locas:
Hic poſitus limes fatalis, Carole, ſortis,

Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Quæ tibi tot bellis obſequioſa fuit.
Admonet ad metam te perueniſſe, nec vltrà
Victrici curſum poſſe tenere manu.
Ergo ſiſte gradum: capiat Ferdnandus habenas
Imperij: reliquum iure Philippus habet.

Ferdinandus I. Rom. Imperator.
H. C.

Dum gerit Imperij ſummas Ferdnandus habenas,
Alma quatergemino floruit orbe quies:
Frater & aßiduis peperit quam Carolus armis,
Pax oleæ geßit fronde reuincta caput.
Splendida Muſarum paßim monumenta vigebãt,
Squalida Mars tenebris abdidit arma ſitu.
Tunc celebres precio decorati, & laude Poëtæ,
Geſſerunt cultis laurea ſerta comis:
Naturæ cauſas latitantis acumine celſi
Ingenij Cæſar quærere ſuetus erat:
Aurato ſapiens aderat Moderatio ſceptro;
Auxit & hic ſacrum prouidus Imperium.
Auocat interea DEVS hunc ad ſydera Cæli,
Quo nullus vita dignior orbe fuit.

Chriſtiernus eius nominis III. Daniç atque Noruegiæ Rex. H. R.

obiit Anno 1559. anno ætatis, 56.

Si mihi quod faciunt alij, memorare liberet,

Quæ

Quæ fuerit bello gloria parta mihi;
Oppreſſos regni motus, armiſque referrem
Cum duce te fractam, clara Lubeca, meis.
At mea laus maior, non tantum Marte feroci,
Sed præſtans etiam quòd pietate fui:
Vix aliquis princeps noſtro me iuſtior æuo,
Aut pius, aut clemens, aut magis æquus erat.
Sic placida ſeruans populos in pace regebam:
Fama volat mundo, Spiritus aſtra tenet.

Aliter, H. R.

Pacis amans, pietate vigens, fera bella peroſus,
Et vita talis, nomine qualis eram.
Ergo DEVS *pugnans pro me malè perdidit hoſtes:*
Felix quem ducit, curat, amátque DEVS.

Fridericus II. Daniæ, Norvvegiæ, &c. Rex. H. R.

Quid iuuat & prodeſt populis imponere leges,
Claráque per latas ſceptra tenere plagas;
Si fluit ignauum tempus teriturq; quiete;
Vita voluptatis quid pigra ferre poteſt?
Hoc ſtudium, hæc cura eſt, factis efferre ſub aſtra,
Et ſupra proauos, tollere auóſque caput:
Ditmarſi domiti bello, & cùm Suecus in annum
Iam ſextum, arma malo ferret amara ſuo.

Fractus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Fractus multiplici ſubit horrida vincula clade:
Præmia iuſta, licet ſera, Tyrannis habet.

Aliter. H. R. ad eundem Apoſtrophe.

Macte animo & virtute noua, & victricib. armis
Dilecte ô anima plus, Friderice, mea:
Munere diuino vt ſupplex Ditmarſia venit,
Sic Sueci pacem te tribuente ferunt.

Mauritius Septemuir Saxoniæ.

Arma, animus, virtúſque meis maturior annis,
Carole nota tibi, Turca fuere tibi:
Namque in Pānonijs quod geſtum eſt fortiter agris,
Omne manu noſtra, conſilióque ſtetit.
Tu quoque Landriſij ad muros es Galle repreſſus,
Exutúſque armis, non ſine clade, tuis.
Ergo mihi in ſeptem Proceres Germanidos oræ
Adſcito Cæſar bella gerenda dedit.
Huic etiam clauſis bellum feci Alpibus, eſſet
Captus ab Albano quòd meus arte ſocer.

Aliter.

Plurima nunc pacata forent, niſi ſtamina vitæ
Rupiſſet medio tempore Parca mihi.
Namque meo decreta animo ſententia ſtabat,
Marte mori, aut pacem Marte parare meis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Maximilianus II. Romanorum Imperator. H. C.

Maximus vt poſitus fuit Æmilianus in vrnam,
Cæſar, qui tanti nominis alter erat:
Pax aderat ſimul, & concordia mæſta parentans,
Vt cineres fuſis condecorent lachrymis:
Adfuit & Mauors viridis qui facta iuuentæ,
Herois tanti, primitiasq; refert;
Et monumenta tenet nocturni clara pericli,
Quot tulit Hiſpanis ſors maleſida iugis.
Hinc maris & terræ pugnas, caſusq; repulſos,
Quos à Threiciis Turca minatur aquis.
Cæſaris hic addit varias Sapientia dotes,
Quæ dux in vita fida, comesq; fuit.
Laudat & eloquij vires, mentemq; benignam,
Numinis & cultum, iuſtitiæq; decus.
Omnia quæ fragili tenuerunt corpore ſedem,
Quod nunc ſub gelido marmore condit humus:
Dum cæli puras rediuiuum ſurgat in auras,
Cumq; anima æternum floreat ante DEVM.

Philippus, Landtgrauius Heſſiæ.

Me belli varia afflixit Fortuna procella,
Optatos portus inueniente DEO:
Exul in vndecimum Vlricus Wirtbergicus annum,

Inuito

Inuito noſtram Cæſare ſentit opem;
Et mihi pulſus agris Leo Brunſuicenſis auitis,
Captus cum nato pòſt ſine cæde ſuo.
Nec Carolum fuerit mihi turpe laceſſere bello,
Sed nocuit temerè nos habuiſſe fidem.
Vincula ſimplicitas parit: en cuſtodia ſeruat,
Dum quinque autumnos Pleïas orta facit.
Me gener & natus tandem victricibus armis,
In patrios ſaluum reſtituere lares.

Henricus iunior, Brunſuicenſis.

Nulla humanarum quàm ſit conſtantia rerum,
Collige ab exemplo, qui legis iſta, meo.
Hilsheymenſe ſolum, primo ſub flore iuuentæ
Per valida adieci finibus arma meis.
Gaudentem ſpoliis, Heßus cum Saxone, partis,
Armata patrio vi pepulere ſolo.
Vt niger hos vicit Iouis ales ad Albidos vndam,
Felix amiſſos occupo rurſus agros.
Perpetuum vt nihil eſt & ab omni parte beatum,
Fortuna alternans datq́; adimitque datum.
Nam geminos natos vna Mars impius hora
Abſtulit, hos letho machina dira dedit.
Haud quenquam dubiè fas eſt confidere ſorti:
Vita aloës multum, mellis habet minimum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Adolphus Dux Holſatiæ & Sleſuici.

Vix mihi prima genas veſtibat flore iuuenta,
Te procul vt patria, Carole Quinte, ſequor.
Vſq; adeò mea mens iuuenili ardebat amore,
Noſſe vrbes claros militiáque viros.
Nec votis fortuna meis bona defuit vnquam,
Signa Tyrocinij plurima Metis habet.
Vnde domum rediēs Ditmarſorum agmina fudi,
Vltus auos, animum dedocuíque trucem.
Nec noſtras Gotha, nec Grimſtenia Saxea vires,
Imperij ſocio milite cincta, tulit.

Aliter.

Qui toties lecto reges cum flore iuuentæ,
Holſaticos toties qui repulere duces:
Seruati, noſtræ gens imperterrita palmæ
Ditmarſi, victas Marte dedere manus.

De Henrico Ferreo, Comite Holſatiæ. H. C.

Quod fuit Alcidæ tibi robur, Ferreus olim
Dictus es à ſeclo Dux generoſe tuo.
Inclyta te Regis ſuſceperat Aula Britanni,
Creſcere cùm virtus eſt tua viſa nimis:
Hic rapidum intrepida compeſcens voce Leonem,
Emiſſum clauſtris in tua fata, domas.

Impo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Imponíſque feræ demtam tibi crine coronam,
Vertice quam poterat demere nemo feræ.
Inde ducem præſul Romanus ad arma vocauit,
Clam parat hic Jtalûm turba maligna necem.
Sed DEVS *illæſum dedit hos euadere caſus,*
Italicas fraudes, & Libycæ ora feræ.
Plus valet Heroum fato Fortuna ſeuero:
Principis eſt virtus vindice tuta DEO.

Antonius Perenottus, Atrebatenſis, & Lotharingicus Cardinales.

Deſine mirari hîc armatis eſſe togatos
Jmmixtos, Ducibus Cardineoſq; Patres:
Bella manu haud gerimus, mẽs eſt armata ſub oẽm
Fortunæ caſum, conſilijs validis.
Conſiliis noſtris motus componimus orbis,
Jmpia cùm Reges bella mouere ſtudent.
Non decet vt Patriæ Patres certamina nectant,
Magnoſq; irritent ad fera bella viros.

Hucvſque Heroes egregij, ac celebrati res geſtas ſuas breuiter verſibus recitarunt, quibus hi duo additi dehortãdi cauſa, nã à multis malè audiũt.

Chiſtiernus II. Rex Danorum, Sueciæ & Noruegiæ quondam.

Non mihi ſi linguæ centum ſint oraq; centum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Dicere facta ſatis pro ratione queam.
Innocuos mactare viros, & humata ſepulchris
Eruere, & flammis oſſa verenda dare:
Non tondere pecus, totam at deglubere gentem,
Vxore excluſa, te Sgebrechta, frui:
Delitiæ illa fuere meæ, fuit illa voluptas:
Exuit at regno me Deus ipſe meo.

Aliter.

Diſcite iuſtitiam moniti & nō temnere Chriſtum
Quicunque in vultus figitis ora meos.
Carcere in vndecimam fermè trieterida clauſus,
Sæuitiæ magnus rex luo ſupplicium.

Ericus XIIII. eius nominis, Suecorum Rex, in vincula coniectus.

Quid memorem mea fata miſer? reticere luberet
Cæde & coniugio notus vbique meo.
Sexaginta meis manibus ſine iure peremi,
Pars mihi magna horum ſanguine iuncta fuit.
Quoquò ergo aſpicio, diri mens conſcia facti
Occurrit miſeris excruciátque modis.
Nunc mihi Præceptor Dionyſius ilia crudo
Traiectus ferro, triſtis Erinnys adeſt.
Nunc proceres Orco miſsi, atque innoxia bello
Ante meos oculos perdita turba volat.

Ali-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Aliter.

Me quis Alexandro ſimilem inficiabitur vnquam;
Obtruncat proceres ebrius ille ſuos.
Sobrius ipſe etiam ſatior vel cæde meorum,
Perfoßi manibus, qui cecidere, meis.

In nobiliſſimos bellica virtute, eodem ferè tempore duces. H. R.

Quos hic ſtare vides ſua fortia facta loquentes
Indomito clari Marte fuère duces:
Vna tulit noſtris ætas vicinior annis,
Clarior hac armis vix prius vlla fuit.
Non ſatis eſt ipſos virtute extollere Reges;
Et fortes illis expedit eſſe duces.

Conſaluus Ferdinandus Corduba, cognomento Magnus, Ferdinandi Hiſpaniarum Regis, Dux. H. R.

Quod gero præclarum cognomen ob inclyta facta,
Hoc mihi concordi eſt militis ore datum.
Bella meo victor confeci ingentia Regi,
Terra ſub imperio cuíque Ibera fuit.
Effrenes domui Mauros, armíſque ſubegi,
Qua rigat Heſperios flumine Bætis agros.
Adiecíque nouum regnum, qua mœnia cultæ
Parthenopes ſalſum verberat alta fretum.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Quæ non inuidiæ virtus patet? vltima fecit
Hæc me priuato ſub lare fata pati.

Aliter, H. R.

Magnus ego verè Conſaluus nomine dicor:
Hoc pater, aſt illud ſtrenua dextra dedit.
Gaditana feros egi trans æquora Mauros,
Aſſerui Regi Bætica regna meo.

Maximilianus Comes Burenſis, Caroli V. Imperatoris dux. H. R.

Vir grauis, armorumq́ fui ſpectatus in vſu,
Nec virtute minus, conſilioq́ potens.
Quando fuit pulſis erepta Bolonia Gallis,
Anglia quem tenuit, dux ego Regis eram.
Hinc tibi belligerans, ſemper victricia ſigna
Auſpiciis duxi, Carole quinte, tuis.
Cumq́ ingens gereres bellum per Teutonis oram,
Inferiorq́ tuo viribus hoſte fores:
Agmina traducens Rhenum tibi Belgica iunxi,
Nec fuit abſque opera palma parata mea.

Aliter, H. R.

Expugnata fuit captis Bolonia Gallis,
Cùm ferrem auxilium, flaue Britanne, tibi.
Heſſus & inuicto Septemvir pectore Saxo,
Me duce dant palmam, Carole diue, tibi.

Geor-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Georgius Fronſbergius, Sueuus, eiuſdem Caroli V. Dux. H. R.

Corporis vt præſtans ſuperabam viribus hoſtes,
Sic animi pollens robore ductor eram.
Militiam didici teneris productus ab annis,
Armaq́; prima tibi, Maximiliane, tuli.
Quo ſene defuncto, ſectanti caſtra nepotis,
Vix quiſquam belli par mihi laude fuit.
Prælia iuſta manu promptus ter quinque ſubiui,
Bis decies pugnas ſuſtinuiq́; leues.
In patria morbo morior ſerpente per artus,
Dum petitur ſignis Martia Roma meis.

Aliter, H. R.

Promptus eram, nulli veterum virtute ſecundus,
Seu res conſilio, ſeu peragenda manu.
Stans ego equum potui frænis inhibere volantem:
In valido tantum corpore robur erat.

Aliud eiuſdem ex Theobaldo Mollero.

Ad liquidas Ticini vndas Fronſbergius heros,
Germanos cauta circuit arte greges,
Nauantes operam Gallis; qui prælia nempe
Ter quina inuicta fecerat ante manu.
Poſtremoq́; mouet dum ſancto, ad mœnia Romæ,
Arma Patri, morbo debilitatus obit.

Ferdinandi Toletani albæ Principis.

Quale ſit ingenium, quæ mens, mea facta loquūtur,
Et facies certis indicat ipſa notis.
Me latium me Roma vetus, me laudibus effert,
Citriferos habitans fuſcus Iberus agros,
Gallia deteſtata caput formidat & horret,
Ludibrio flauus crine Britannus habet.
Armipotens probat & damnat Germania paßim,
Fortunam luget Belga, gemítque ſuam.

Aliter.

Galle mihi, mihi Belga licet, mihi Teuton, & Angle
Dixeritis quiduis bile tumente malum:
Haud moror in Regem dum parte fidelis ab omni,
Inueniar (ſemper quod fore ſpero) meum.

Ioannes Comes Arnsburgenſis in Phryſia cæſus. H. R.

Si quibus inconſtans peperit fortuna dolorem,
His ego me ſocium dicere iure queo.
Et mihi natales, decus, & connubia magnum,
Nobilitas factis quæ fuit aucta, dabant.
Cùm gereret bellum Germanide Carolus ora,
Bureni conſors ſtrenuus arma tuli.
Vt noua turbauit trepidos diſcordia Belgas,
Regis ab Hiſpani partibus ipſe ſteti.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

In Phryſia vitam mihi mors ita flebilis aufert,
Sic rapiunt claros triſtitia fata viros.

Aliter.

Non moror in bello cecidi quòd victus ab hoſte,
Pugnando fortes claudere fata decet.
Hoc queror obſcuro perij quòd milite caſu,
Nec laudem de me ſtrenuus hoſtis habet.

Guilhelmus, Princeps Vraniæ.

Nomina quæ ſint parta meo et decora ardua Marte,
Dicere conueniens non reor eſſe modò.
Pendet adhuc etenim dubia victoria lance,
Nec finem quem ſint bella habitura ſcio.
Viuo tamen memetq́ue ſpei conſeruo ſecundæ,
Dira licet vel ſi Mors obeunda mihi.
Namque decet fortes Fortunã in vtranque paratos,
Quæ DEVS *immiſit conſuluiſſe boni.*

Aliter.

Bella gerant alij, extendant vt nomina factis,
Bellica mè gnatus captus ad arma vocet.
Nec moror hæc ſi fortè creat mihi cauſa periclum
Haud aliter nidum parua tuetur auis.

Odettus Fuſius Lotrechius, copiarũ Gallicarum in Italia Imperator.

Non habuit virtute parem mihi Gallia quenquã

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Tempore quo vitæ ſunt data fata meæ.
Horror eram Latio: fama notiſsima cælo,
Oppida ſunt armis multa ſubacta meis.
Hinc nom n quod Rex meruit Demetrius olim
Mira expugnatis vrbibus arte, tuli.
Qui bellis inuictus eram me ſæua ſubegit,
Infeſtat grauiter dum mea caſtra, lues.
Et cineres fortuna meos afflixit iniqua,
Dum tumuli expertes bis duo luſtra iacent.

Aliter.

Sunt quia capta meo quam plurima mœnia ductu,
Expugnatorem me vocitare ſolent.
Claruit hac olim Macedo Demetrius arte,
Participem laudis nunc habet ille ſuæ.

Martinus Rosheymius Geldrenſis primò Galliarum Regis, deinde Caroli V. Dux. H. R.

Quis fueram longo non eſt opus edere verſu,
Quod ſubit hoc vno carmine ſcire potes:
Fulmen eram belli, ferro graſſabar, & igni;
Oppida militibus diripienda dabam.
Id ſatis eſt; teſtes Belgæ, Moriniq; remoti,
In mare qua Scalde, Dilia, Moſa fluunt.
Illa viris, opibusq; potens Antuerpia teſtis.

Qua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Quæ mihi victrici pæne ſubacta manu eſt.
At ſibi me ſicut tunc Gallia ſenſit amicum,
Sic eadem clades me tulit hoſte graues.

Aliter.

Cæſareis inhians opibus ſpe diuite Gallus,
Me duce, pæne ſuis excidit ipſe bonis.
Argentoratum petit hic, Campania per me
Vulcano paßim, Marteq́ue damna facit.

Andreas Aurias, Cæſareæ claſsis præfectus. H. R.

En ego quem ſpectas, Latiæ fama inclyta terræ,
Et Ligurum quondam lauſq́ue decuſq́ue fui.
Quis pelago geßit me bella peritior alto?
Quis patriæ adduxit commoda plura ſuæ?
Vt mare purgaui prædonibus, & mihi claſſem
Ducenti ſemper terga dedêre Scythæ:
Sic patriam aſſerui, pulſis ſine cæde Tyrannis,
Et ſtabilem iußi legibus eſſe ſuis.
Hinc ſtatuam patriæ Patri mihi grata locauit:
Hæc mihi virtutis poſthuma teſtis erit.

Aliter, H. R.

Qui mihi marmoreum Ligures poſuere Coloſſum,
Me patriæ Patrem voce manuq́ue colunt.
Et terris & nota mari, ſpectataq́ue virtus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Cùm Mahometigenas claſſe fatigo Scythas.

Sebeſtianus Schertelinus, vrbis Auguſtæ, Vindelicorum belli Dux. H. R.

Vindelicis inſignis agris belloque, togaq́;,
At melior valido dux ego Marte fui,
Cùm celebres iunctis ſociarent vrbibus arma,
Pro defendenda relligione duces.
Agmina præfectus duxi, vicináque celſo,
Alpibus arx Cliuo, me duce, capta fuit.
Victor ob id mutare ſolum me Cæſar adegit
Præmia decernens in caput ampla meum.
Obtinuit generoſa locum clementia tandem,
Et pius ignouit, reſtituitq́; meis.

Aliter.

Cæſari vbi iuſſus feci ſocio agmine bellum,
Quod tum Auguſtanæ relligionis erat.
Capta Fieſſe mihi eſt Alpini ad flumina Lathi
Aërioq́; iacens arx Ereberga loco.

Seuerinus à Norbu. Chriſtierni II. Danorum regis, in Scandia præfectus.

Rex licet effugit meus, & turbante tumultu
In loca quæſitum tuta receſſit opem.
Non ego proieci tamen arma, ſed impiger hoſti
Conſerui euentum Marte negante manus.

Indul-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Indulſit veniam virtutis in hoſte probator
Inq́ fidem accepit victor, amore fouens.
O mihi ſi tantum libuiſſet fallere nunquam,
Nec tua trans Alpes, Carole, caſtra ſequi.
Liber ab hac eſſem macula, nec morte luiſſem
Quas merui pœnas, dum tua ſigna ſequor.

Aliter.

Vt tuear valido fugientem milite regem,
Vendo domos, vendo quicquid vbiq́ meum eſt.
At Deus exoſus ſaturatum cæde Tyrannum,
Non voluit noſtram pondus habere fidem.

Epitaphium Seuerini Norbij equitis aurati ex Dania, Florentiæ ſepulti.

Oceanum hoſtili toties qui ſanguine tinxit,
A gelidæ Thytes littore ad vſque Cronum:
Quem non immeritò Sclaui, Suediq́, Gothíque,
Vandaliæq́ vrbes extimuere ducem:
Norbius Hetruſco iacet hic Seuerinus in antro,
A Florentina miſſus in aſtra pila.
Barbarus ille nequit captiuum extinguere Moſcus,
Mergere non mediis Ennoſigæus aquis:
Debuit in Latio, velut orbis in arce perire,
Tanta viri, vt virtus vndique nota foret.

Guil-

Guilhelmus Thumſernus Proteſtantium bello Dux.

Quid terrore carens, docui, conſtantia poßis,
Inuictoq; malum pectore poſſe pati.
Vt ſtetit infenſo victoria triſtis ab hoſte,
Maxima pars victos deſeruere metu.
At mihi fœda fuit res viſa relinquere fœdus,
Et victas vna tendere clade manus.
Arma recollegi ſubito diſcrimine belli,
Mœnia qua Bremæ lata Viſurgis adit.
Nec pius euentum cauſæ Deus abnuit æquæ,
Fortunæq; meæ victor in hoſte fui.

Aliter.

Cùm quateres validæ tormentis mœnia Bremæ,
Vt coleret Latij dogmata priſca patris;
Piſcoſum tranas deſertus, Erice, Viſurgim,
Victori palmam porrigis atque mihi.

Iohannes Ranzouius, trium Daniæ Regum, Friderici primi, Chriſtiani tertij, & Friderici ſecundi ſummus conſiliarius, & bellorum Dux.

Non ſine re magnis Heroibus inſeror illis
Quos volui tantos hoc ego ſtare loco.
Nam nec eram virtute minor, nec fortibus auſis,

Siue

Siue toga ſpectes edita, ſiue ſago.
Regibus aſſedi tribus, impoſuíque coronam,
Exuuias victo bis quater hoſte tuli.
Effera ſubmiſit, duce me, Ditmarſia collum,
Libera bis ductu Dania facta meo eſt.
Sic ſatur inuictæ fama virtutis & armis
Succubui fatis, nunc habet aula poli.

Aliter.

Quis fuerim bello, quis pace, referre recuſo,
Inuidiam conflent ne mea geſta mihi.
Dicit id inuicto Ditmarſus Marte ſubactus,
Bíſque aſſerta mea Dania clara manu.

Daniel Ranzouius, Dux exercitus Regis Danorum Friderici II. in Suecos, H. R. anno 1568.

Me quoque viuentem complexus amore propinquus,
Illuſtres inter iuſsit habere locum.
Nec res quas recitem, deſunt mihi fortiter acta,
Sed prohibet iuſtus cuncta referre pudor.
Hoc dicam ſaltem, ter aperto Marte Suëcum
Expertum noſtras non ſine clade manus.
Tres belli amiſiſſe duces, quos cepimus armis.
Quid moror? ipſe opera fert quoque vincla mea.
Sex licet inconſtans Mauors mutauerit annos,

F *Vtrin-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Vtrinque inſignes perdiderítque viros.

Aliter.

Quòd me inter tantos Henrice propinque reponis,
Si non iudicio, certè, id amore facis.
Dent vitam mihi fata; & nulla redarguat ætas,
Ille ero iudicio, quem cupis eſſe, tuo.

Franciſcus à Brockenhuſen, regni Daniæ Mariſchalcus, ac vniuerſi peditatus Dux.

Pro Patria tecum qui belli munere iunctus
Sæpius hoſtiles ſum populatus agros:
Pro patria tecum qui iuſtis inclytus armis
Oppida contriui Suecica, caſtra, duces:
Pro patria tecum qui læſus vulnere ſphæræ,
Occubui, fato vix remorante diem:
Nūc tibi ſum meritò, vt magno Patroclus Achilli,
Ranzoui, iunctus proximiore loco.

Otto Rute, poſt Trollium præfectus claſſis Danicæ.

O miranda Dei noſtræq́; incognita menti
Iudicia, & nullo diſſoluenda modo!
Quis tempeſtates melius, pelagíque furores,
Solerti ex aſtris nouerat arte vagis:
Quis mihi, ſiue tenere altum, ſeu ſtringere littus

Velles, par pelagi cognitione fuit?
Nauali explicuit quis fortius ordine claſſem,
Danica cùm peterent Sueonas arma vaſros?
Fata obſtãt, mihi fata negant inimica triumphum:
Conſilia abſque Dei nulla fauore iuuant.

Georgius ab Holle, eques Brunſuicenſis.

Stemmate quæ tantum celebri ſe iactat auorum,
Nobilitas dici non mihi vera poteſt:
Sed quæ virtutem ſuperátue æquátue parentum,
Et meritis ortum comprobat ipſa ſuis.
Hic labor, hic animus teneris mihi ſedit ab annis,
Inde mihi aduerſo vulnus in ore tuli.
Hoc mihi ſternenti Gallos infertur honeſtum
Dum tua præfectus caſtra, Philippe, ſequor.
Et me cognouit Suecus, nec proximus illi
Quiſquis eris, tardas experiere manus.

Aliter.

Martis opus primis toleraui ſemper ab annis,
Militiæ & ſtatui multa trophæa meæ.
Grandia diffindit, nec dedecet, ora cicatrix,
Me docet intrepidi pectoris illa ducem.

Ioanniſcus morio Ranzouiorum.

Huc ades ô quicunque venis nouus hoſpes in arcem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Picturis oculos paſceris atque tuos.
Quid mirare duces miſer, ardeſcíſque tuendo?
Neſcis quale tegat ſplendida vita malum.
Lerna periclorum, & certi ſentina laboris,
Prudentum vita eſt, ſtultus at hiſce caret.
Ergo age ſtultitiam ſimula, ſic nulla ſubibis
Munia, donantur pectora ſtulta rude.
Aut illos imitare, iuuat ſi perdere vitam,
Aut me, ſi cordi eſt, viuere dulce tibi.
Vt fugeret longi maleſana negocia belli
Syſiphides littus fertur araſſe maris.
Aut flue deliciis & duc inglorius æuum,
Aut mercare graui grande labore decus.
Ingredior quodcunque velis iter, vnus vtrique
Finis, mors fatuum cum ſapiente rapit.
Viuere non tibi vis, alieno vt tempore viuas?
Quid non poſt vt edas, ante famem moreris?
Ah nimio fallax emitur, me iudice, nomen:
Viue tibi, nimium nec ſape, tutus eris.
Viue tibi, nec te crucia, neque craſtina cura,
Hoc ego prudentes admoneo fatuus.

Epilogus. H. R.

Si quis erit quem fortè iuuat ſic quærere, quare
Hi tabulis præbent ora videnda viri?

Is ſibi virtutis proponi exempla probatæ,
Quam vitiis ſpretis diſcat amare, ſciat.
Quámque ſit inſtabilis vitæ fortuna caduca,
Quàm varios ſeruent lubrica fata modos.
Quàm ſubito magnæ ſpes euaneſcere caſu,
Et ſoleant labi grandia cœpta virûm.
Quiſquis es, incertæ diuerſa pericula vitæ,
Et dubiæ ſortis ſpernere fata, caue.
Nam caro ceu fœnũ eſt, & gloria noſtra velut flos,
Mane viget primo, veſpere lapſa iacet.

In ſepulchrum D. Maximiliani II. Rom. Imperatoris. H. C.

Pax, Aquila, Imperium, virtus, Eccleſia, Muſæ,
Debilis, atra, tremens, lugubris, ægra, nigræ,
Luctu, alis, membris, cultu, pallore, dolore,
Aure, ſono, geſtu, pectore, voce, modis,
Attentè, mæſtum, variè, graue, triſte, ſonorè,
Stat, plangit, luget, congemit, horret, eunt.
Velat, conuellit, ferit, obtegit, angit, obumbrant,
Os, plumas, pectus, lumina, corda, genas.
Spem, dominum, patrem, cultorem, heroa, patronũ,
Plorat, obit, recolit, concinit, ornat, amant.

Aliud.

Albis, Danubius, Rhenus, Pogneſſus, Eliſier

Portu, præſidio, Cæſare, ſpe, decore,
Amiſſo, dempto, rapto, moriente, cadente,
Turbidus, attonitus, tardus, amarus, inops,
Vorticibus, lacrymis, ripa, ſcaturigine, lymphis,
Refluit, excurrit, torpet, inundat, abit.

Epitaphium Suenonis Eſtritij, Roskildiæ, in æde Trinitatis ſepulti.

SVENO MAGNVS REX DANIÆ, ANGLIAE ET NORVEGIAE.

Regum Sueno decus magno quo Dania rege
Floruit, & ſceptris imperioſa fuit:
Non virtute minor Sueno, quàm nomine magnus,
Nam dici poterat magnus vtroque modo.
Hunc ſoror illuſtris regis præclara Canuti,
Eſtridis genuit prole beata parens.
Anglos Marte premens, Noruagica regna ſubegit,
Fit tria ſceptra tenens vnica Dana manus.
Res miranda nimis: quem vix tria regna valebāt
Imperio capere, iam petra parua capit.
Et quia ſtare diu nequeat terrena poteſtas,
Terrarum reges quærite regna Dei.

Epi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Epitaphiū Ducis Erici VValdemari filij, qui vnà cum patre ſepultus eſt Sleſuigæ anno Domini 1325.

Hoc dux magnanimus patriæ ſeruator Ericus
Waldmari natus cum patre tectus humo eſt.

Epitaphium Friderici I. Regis Daniæ.

Qui pius eſt quondam meritò cognomine dictus
Danorum hac tegitur Rex Fridericus humo.
Moribus egregijs non degenerauit auorum
Chriſtiade primo de genitore ſatus.
Pacis amans fuerat, qui dum moderatur habenas,
Hoſtibus à ſæuis Dania tuta fuit.
Syncera heroum nulli pietate ſecundus,
Munifica fuerat quo neque mente prior.
Regno præfectus, rerum duo luſtra potitur
Inuida cùm vitæ ſtamina Parca ſecat.

Obiit anno 1533. die Aprilis 10. ætatis 56.

Ioannis Ducis Holſatiæ, qui obiit anno Chriſti 1580. natus annos 59. dies 74.

Principis hoc tumulo Iohannis membra quieſcunt,
Cimbrica cui fuerat ſubdita terra duci.
Iuſtitiam coluit, crudelia bella peroſus,
Et placido fouit pectore pacis opes.

Dit-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Ditmarſos domuit cum Rege & fratre feroces
Fortiter vltus auos Marte fauente ſuos.
Auſonias oras etiam grandæuus adiuit,
Et varias vrbes viſere cura fuit.
Coniugij expertem decreuit ducere vitam,
Ne nimis Holſatas debilitaret opes.
Eripitur fatis ſenio confectus, & arce
Nunc capit ætherea gaudia læta poli.

De claris & fortibus aliquot viris antiquæ & nobilis familiæ Ranzouicæ qui à quadringentis huc vſque annis pace & bello floruerunt, inſertis elogiis, & Epitaphiis, quæ in quorundam Ranzouiorum monumentis leguntur.

Ad nobilem virum, Henricum Ranzouium, Regium in Holſatia & Ditmarſia Vicarium, Præfectum arcis Segebergæ, Dominum Bredenbergæ, &c.

HENNINGVS CVNRADINVS.

Ranzouidum veteris præſtans HENRICE *propago*
Stemmatis, Arctoi ſplendor honorq́; ſoli;
Si non impediunt curæ, variiq́; labores,
Quos pro Rege tuo, pro patríaque geris;
Succinctam tenui precor accipe veſte Thaliam,

Calliope

Calliope maius dum tibi condat opus.
Accipe ſic viridi, quæ nunc tibi floret in æuo,
Virtutem ſoboles, Pieridéſque colat.

Ad Paulum Ranzouium, Henrici Ranzouij fratrem, Ducis Adolphi Holſatiæ conſiliariũ, præfectum arcis Trittouiæ, Dominum arcis Both Kampianæ, qui diem ſuum obiit.

Tu quoq; Ranzouici laus ſtemmatis inclyta magni
Altera progenies, Paule relicte, patris:
Cuius in Heroo ſpirat vis Martia vultu,
Exerit & virtus corde paterna iubar:
Perlege tot laudes, tot fortia facta virorum,
Lumina qui generis clara fuère tui.
Sæpe iuuet, ſimul hæc veſtros legiſſe nepotes,
Quos agitat ſtimulis gloria vera ſuis.

Ad eoſdem fratres Ranzouios, Domini Ioan. Ranzouij, eq. aurati filios.

Parua ego de vobis, qui magno munere digni,
Magna negant vires, ſors quia parua mea eſt.
Sæpe fuit paruis ſua gratia: gratáque regi
Lympha fuit magno, quam caua palma dedit.
Magnanimi fratres, paruam ne ſpernite Muſam,
Parua alacri capiens pectore, magnus erit.

G Ioan-

Ioannes Ranzouius, Dominus in Aſcheberg, conſiliarius Adolphi IIII Comitis Holſatiæ, qui VVoldemarum 2 Regem Daniæ ſibi bellum inferentem, ſuperauit: Vixit anno Chriſti M. CC. XXXVI.

Nunc mihi Muſa refer Ranzoæ lumina gentis,
Cuius in Holſata gloria floret humo:
Quæ ſimul hinc niueis ſe tollens ardua pennis,
Vecta peregrino carpit in orbe vias.
Tu pia Mnemoſine, longis quæ condita ſeclis
Acta, vetuſtatis, iuraq́; ſacra tenes:
Ede viros, penitus quos non obliuio delet,
Obruta nec quorum nomina nocte latent:
Antiqui multos iniuria ſubtrahit æui,
Factáque bellorum ſtrage ſepulta iacent.
His lucem optamus fruſtrà: pauca ergo vetuſtas
De multis voluit quæ ſupereſſe, canam.
Primus Iohannes, nobis ſe laudibus offert,
Ranzouicæ, priſco tempore, ſtirpis honor.
Illius in grauibus prudentia cognita rebus,
Hinc celebrata manent nomen, & acta viri,
Structa ſolo Holſato quando ſunt mœnia Plonæ,
Impetrat à Dominis, tunc noua iura ſuis.

Iura;

Iura; recens poſitæ quæ primus tradidit vrbi,
Perpetuos mandans illa vigere dies.
Hinc vetus vrbs tenuit ſemper ſe legibus æquis,
Et recolit tanti nomina grata viri.
Facta licet, laudeſq; alias obliteret ætas:
At quantus fuerit, laus ſatis vna probat.

Marquardus Ranzouius Henningi Comitis Holſatiæ, ac Schauenburgenſis Præfectus vixit anno Chriſti,
M. CCC. XVIII.

Te Marquarde etiam noſtros tranſmiſit ad annos
Fama, licet longo tempore facta minor.
Cùm Comes Holſatis HENNINGVS *floruit oris,*
Pax & abundantes læta teneret agros:
Ranzouius domini præfectus in arce regebat,
Laus patriæ, & rarum ſtemmatis ille decus
Cuncta tulit pleno terris tunc copia cornu,
Regnabátque animis relligionis amor.
Tunc nemora, & villas, latis tunc prædia campis,
Munifico templis pectore quiſque dabat
Numinis in ſummi, bona & hic decreuit honorem,
Vſibus & ſacris eſſe dicanda iubet.
Has erat inter opes ſaltu Reinbeca nigranti
Cincta, ſub Holſatis *prataq; ſparſa iugis.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Cætera facta licet iaceant obducta tenebris,
Hæc pietas potuit, non tamen orbe mori.

VVoldemarus Ranzouius, Ducis Iutlandiæ conſiliarius, ſepultus Chilonij, anno Chriſti, M. CCC. XXXIIII.

Qui legis antiquis abſtruſa volumina chartis,
Claráque peruigili nomina mente notas:
Ranzouica diſces Voldmarûm gente profectum,
Quæ numero, & factis clara potenſq́ue fuit.
Mille ſimul numeres, tercentum & quatuor annos
A Chriſto, iungas bis tria luſtra ſimul:
Extitit hic clarus, duróque ſalubribus aulæ
Tempore conſiliis cognitus atque fide eſt.
Perſpectuſque duci qui tunc Iudlandica rexit
Icta repercuſſi fluctibus arua freti.
Poſt curas varias, oneroſáque tædia vitæ,
Splendida quæ dubiis caſibus aula parit;
Elegit veluti portum, Chilonidos vrbis
Mœnia, & exuuias mandat in æde tegi.

Bruno Ranzouius, qui oppido Kiel impetrauit confirmationem priuilegiorum à VVoldemaro duce Iutiæ.

His etiam BRVNO *vixit Ranzouius annis,*
Par vtriuſque ætas, ſtirps eadémque fuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Qui Woldemaro iunctus ſic fœdere vitæ eſt,
Pelidæ fidus qualis erat Patroclus.
Par erat & virtus, qua clarus uterq; refulſit:
Mens vtriuſque polo; membra vtriuſq; ſolo.

Schacco Ranzouius, eques ordinis Imperatoris, Alberti Auſtriaci, quem adeptus eſt principio anni 1439. cuius inſigne fuit draco cum cruce, Dominus in Salſou, ſepultus in Gikou.

Schacco Ranzouius, iuuenilibus excitus annis,
Concludi patria turpe putabat humo.
Cæſarea decus hic & honores quæſiit aula,
Et flos Holſatæ nobilitatis erat.
Aurea geſtabat miles calcaria, & arma,
Et parto decori contulit ipſe decus.
Imperij Albertus Romani ſceptra gerebat,
Præmia quo virtus Cæſare iuſta tulit.
Digna nouis titulis (quia poſceret inclyta virtus)
Pectora magnanimi cenſuit alta viri:
Nobile pennati tribuens inſigne draconis,
Addita cui fuerat crux ſacra, ferre dedit.
Scilicet æternum collati pignus honoris,
Clarus vt hic ſocij fœderis ordo fuit:
Qualia Phryxæi nunc velleris aurea geſtant,

Quæ tribuente ferunt Cæſare ſigna duces:
Tale fuit fœdus, magnis heroibus ictum,
Cuius erant ſignum crux ſimul, atque draco.
Quis dubitet furias orbis ſignare Draconem?
At pia pro Chriſto, crux docet, arma geri.
Talia Cæſareo, Schacco monimenta gerebat
Munere, virtutis conſcia ſigna tuæ.
Sic manet, extincto quamuis nunc corpore, virtus,
Hoc patria tectum dulce quieſcit humo.

Detleuus Rãzouius de Neuerſtorp, Canonicus Lubecẽſis, moritur anno M. CCCC. LXV. cuius ſepulchri inſcriptionẽ in ſummo templo renouari curauit Hen. Ranz.

Ordinis eſt ſacri Detleuus adeptus honorem,
Qui ſua de Canonum nomina iure tenet,
Qua colitur pulchræ templum cathedrale Lubecæ,
Quàque frequens largas ara miniſtrat opes,
Hic ſua tranquillæ traduxerat ocia vitæ,
Conſilio præſtans, ingenioq́ bonis.
At ſtudium pietatis erat, ſimul oderat illos,
Arbitrio Canones qui tenuere ſuo.
Sæua trucis genitor tractauerat arma Gradiui,
Henricus celebri nomine vectus eques.
Cum patre iam dormit ſocia Detleuus in vrna

Quæ

Qua ſacra baptiſmi labra replentur aqua.
Henricus tumuli renouari marmore iuſſit,
Tempore qua longo deperiere, notas.
Filius Henricus zani, virtute parentis,
Qui ſimul & propria clarus in orbe viget.
Hæc cui maiorum debent Epigrammata manes,
Qui veterum tenebris eruta facta dedit,
Cuius & ingenio debent hæc marmora vitam
Séque ipſam generis gloria Ranzouici.
Quē precor, vt Phœbo et Muſis, paci, atq; Mineruæ
Et patriæ ſeruent fata benigna virum.

Bartoldus Ranzouius Canonicus Bremē-ſis ac Hamburgenſis, præpoſitus Hadelerienſis, moritur Buxtehudæ, anno M. CCCC. LXXXIX. 8. Ianu.

Rèlligio vetus hunc Martis deduxit ab armis
Ranzouio quamuis ſtemmate natus erat.
Bremenſi numerum fuit æde aſcriptus in illum
Bartoldus, Canonum qui ſacra iura colit.
Quin & idem fama refluum venerādus ad Albim
Hamburgi ſumma geſſit in æde decus.
Præpoſitum ſacris, hadelaria meſſis abundans,
Extulit ob dotes, eloquiúmque viri.
At nonus vt quondam Bremenſis Epiſcopus oræ

Con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Concordi procerum debuit ore legi.
Ante diem fato Buxthuda ceſsit in urbe,
Mœnia qua vitreis Viuera lambit aquis.
Flebilibus Bremam transfertur honoribus urbem,
Et datur impoſito marmore corpus humo.

Breida Ranzouius, frater D. Ioannis Rāzouij, qui cum tribus aliis, ex ſua familia in Ditmarſia fortiter pugnans occubuit, anno M. D.

Annus agebatur Chriſti milleſimus, addas
Orbibus exactis ſecula quina tamen:
Inclitus inſtructam rapido, Ditmarſica, bello
Rex ut Iohannes duxit in arua manum:
Libertas, roburq́ue virûm, & natura locorum
Cincta paludoſis agmina texit agris:
Sternuntur ſubitò latis fulgentia campis
Agmina, pars gladiis, pars fuit hauſta vadis.
Flumina virtutem valuis emiſſa retundunt,
Sæuáque inundantis vis ſuperabat aquæ.
Inter at hæc validos cædens acerrimus hoſtes
Non uno iuuenis vulnere Breida cadit.
Ad latus occumbunt pariter tres ſtemmate nati
Ranzouio, calido ſanguine fumat humus.
Corpora cæſorum, terra, patriiſque ſepulchris

Heu

Heu feritas vetuit gentis acerba tegi.
Sic inhumata iacent, & ſparſa patentibus aruis,
Nec datus eſt tumulus Breida perempte tibi.
Breida decus patriæ, cuius communis in hoſtem
Arma mouere pius corda coëgit amor.
Breida iaces, ſed non merita ſine nomine laudis
Breida iaces; fatis occubuiſſe viri eſt.
Vltor adeſt Ianus frater poſt fata relictus,
Qui tener, & balbo tunc fuit ore puer.
Si non ſunt patrio tua condita membra ſepulchro,
Terra tamen tumulum præbuit vna tibi.

Aliud.

Breida vigens animo, primis & floridus annis,
Belligeri durum Martis amabat opus.
Danicus armatas Rex in Ditmarſa cohortes
Ac equitum fortem duxerat arua manum.
Tunc & Breida fuit fulgentia ſigna ſecutus,
Iamq; ſonant litui, terribileſque tubæ.
Prœlia tentantur, ſed aquis turbata fuerunt,
Vndique ſtagnantes amnis inundat agros.
At Iuuenum robur vortex hîc frangit aquarum,
Limoſos ſuperat nec bene planta lacus.
Non hanc Ditmarſi vobis victoria laudem,
Sed dedit in madido crebra vorago ſolo.

Pars cecidit ferro, rapitur pars maior ab vndis,
Mars etiam his pugnans ipſe periret aquis.
Sic nunc Breida iaces, & tecum multa tuorum
Corpora, quæ tumulis heu caruere ſuis.
Cepiſti tamen hæc ſolatia mortis honeſtæ,
Facti olim frater quòd tuus vltor erat:
Nec feritas pœna caruit: ſed Breida quieſcit
Molliter: in cælo mens viget; orbe decus.

Detleuus Ranzouius, Canonicus Bremenſis & Hamburgēſis frater D. Ioannis Ranzouij, mortuus Romæ, anno M. D. IIII.

Pinnigera templum ſurgens vbi turre ſub auras,
Hamburgi Cathedræ iura vetuſta tenet;
Ranzouius ſacro Detleuus in ordine vixit,
Libertas Canonum quem vetus illa iuuat.
Impiger Italicas fuit inde profectus in oras,
Auſonio diſcens iura diſerta foro.
Te ſimul inuiſens adit alma Bononia, diuæ
Altricem ſophiæ, Pierijq́; chori.
Priſca ruinoſæ tetigit cùm mœnia Romæ,
Hoſpitij tumulum mox vice Roma dedit.
Itala Germanis eſt ſæpius ora ſepulchrum,
Dotibus ingenuis qui viguere ſuis.

Aliud

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Aliud. H. R.

Cimbria me genuit, docuítque Bononia clara,
Doctrinæ verò præmia Brema dedit.
Fecit & hoc Hamburga quidem: porrò Itala tellus
Me rapuit, gremio ſeruat & ipſa ſuo.
Cimbria ſic cunas dedit, inuida Roma ſepulchrum,
Me patriæ reducem nec tulit eſſe meæ.
Sors eadem Cimbris fuit eheu pluribus olim,
Res quibus in bello eſt optima viſa mori.
Terra inimica vale: ſolerti proſpice cura,
Ne repetat cineres Cimbrica terra ſuos.
Interea fateor quòd ego terráque locoq́;
Nec potui naſci, nec meliore mori.

Aliud.

Cimbrica natalem, præclara Bononia mentis
Doctrinam de me vendicat vſque ſibi.
Aſt Hamburga meos ſibi, Bremaq́; ſumit honores;
Roma, ſed heu Cimbris inuida, buſta dedit.

Otto Ranzouius, eq. aur. Dominus in Bulck & Cnop, obiit Chilonij, anno M. D. XI. Cōſiliarius Ioannis Regis Daniæ, Sueciæ, & Noruegiæ.

Inclyta Ranzouium virtus quoq́; tollit Othonem,
Et viget Holſato poſthuma fama ſolo.

Baltheus ob meritum, gladius cui fulgidus auro
Ceſſerat, auratus nomine fertur eques.
Cui nec Vlyſſæa deerat prudentia mentis,
Et quæ Neſtoreæ gratia vocis erat.
Conſiliis prudens Ioannis rexerat aulam,
Danorum ſenior qui data ſceptra tulit.
Duxit at hinc vitam Chilonidos vrbe quietam,
Auerſans ſtrepitus aula moleſta tuos.
Tum fieri ſacra curauit in æde ſepulchrum,
Semotum populo clauſa quod æra tegunt:
Nempe memor vitæ fragilis, mortiſq́ue futuræ,
Hîc voluit membris eſſe cubile ſuis.
Hîc decies ſenos clypeos, galeáſque comantes
Magnorum videas ſigna vetuſta virûm.
Qui de Ranzouio florentes ſtemmate, claræ
Temporis vnius laude, fuere decus.
Hæc iuuenes vobis addant calcaria pulchræ
Virtutis, quas nunc Cimbria diues alit.

Caius Rāzouius Dominus in Hanrouvv, & Kletkamp, Henrici Ranzouij filius, & Ioannis frater in obſidione Lubecēſi vulneratus, obiit anno ætatis 73. anno Domini, 1361.

Inclytus obſedit cùm mœnia celſa Lubecæ

Chri-

Chriſtiades, comes hic obſidionis erat:
Nomine qui Caius priſco, dedit ardua priſcæ
Virtutis, valida ſigna notáſque manu.
Traua manet teſtis, galeas, clypeoſque virorum,
Totą́ vehens tinctis corpora cæſa vadis.
Acrius obſtantem cùm proueheretur in hoſtem,
Læſa, procul miſſa, tilia, glande fuit.
Arripit hanc cauſam claris mors inuida factis,
Vt iuuenem telis tolleret atra ſuis.
Ante oculos iuuenis nigris volat horrida pennis,
Fila tremunt, ſed non rupta fuere colo.
Et mortem iaculis inſtantem fata morantur,
Cui Lacheſis ſeros eſt meditata dies.
Bis ſeptem poſt luſtra ſenex tres vixit & annos,
Emeritos clauſit cùm ſine Marte dies.

Sequentes etſi nonnulli eorum natu maiores ſint præcedentibus: tamen cùm ſeſe in vno monumento ſepeliri curauerint, diſiungere eos nolui.

Caius Ranzouius, Dominus in Krummendick, floruit anno Chriſti, M. CCC. XCVII. ſepultus Itzohoæ.

Nominis hic Caius monumenta vetuſta reliquit,
Principibuſą́ viri eſt ſumma probata fides.

 Cùm

Cùm fuit ad Sleiæ diuiſus ſtagna Ducatus,
Holſatiæ & Comites diſtribuêre ſolum:
Tunc is tam grauibus prudens interfuit actis,
Quod tabulæ priſcæ, ceráque fida docent.
Legitimus curui Caius fuit aggeris hæres,
Fertile qua gelido cingitur amne ſolum.
Cætera ſunt tenebris elapſi condita ſecli,
Multa quibus veterum facta ſepulta iacent.
Tunc potior calamo Germanis dextra vigebat,
Maior erat ceris tunc data nuda fides.
Marmor at in templo cineres, nomenq́ue reſeruat,
Qua vetus vrbs Storæ flumine nota iacet.

De nomine Caiorum, quod licet Romanum tamen in familia Ranzouiorum frequens fuit.

Virginis à partu, iam terna, decémque fluebant
Secula, ſeptem annis luſtra bis adde nouem.
Ranzouidum claro florens de ſtemmate Caius,
Arctoam celebri laude replebat humum.
Quis non hoc veterum Caiorũ nomine Cimbros,
Vſos Romano more fuiſſe putat?
Auſonias magno vaſtantes agmine terras,
Grande ſibi famæ cùm peperere decus.
Caius erat Marius, Cimbros qui fuderat armis,

Iulius & Caſar nomine Caius erat.
Hinc ſuper & multi noſtro ſunt tempore Caij,
Qui modò florentes tempora veris agunt.
Nam ſimul Henrico Caij, Pauloq́ ſuperſunt,
Fratribus, antiqua nobilitate ſati.
Qui pedibus fixis veſtigia clara parentum,
Præſcriptáſque notant, acer vterque, vias.
Primaq́ virtutis viridi dant ſigna ſub æuo,
Corporis inſignes, ingenijq́ bonis.
Quóſque patres curant placidis aſſueſcere Muſis,
Vt geminum tractent Martis & artis opus.
Limine quos primo nunc gloria vera ſalutat,
Claraq́ Ranzouicæ lumina ſtirpis erunt.

Breida Ranzouius Caij filius moritur anno M. CCCC. XL. ibidem ſepultus apud patrem.

Filius hic Breida eſt, patriæ noua gloria, ſtirpis
RanZouicæ ſplendor, nobiliumq́ decus.
Hic placida genitoris agros in pace tenebat,
Atque genus factis auxit equeſtre ſuis.
Illius ad ſeros pietas tranſlata nepotes,
Tempore ad huc noſtro præmia laudis habet.
Aræ primus enim dedit vſibus æra quotannis;
Quæ trino veteri more dicata Deo eſt.

Quà

Quà tribuit ſummæ nomen Laurentius ædi,
Diuus vt Itzoa cultus in vrbe fuit.
Hic pius exuuias dedit olim Breida ſepulchro,
Et pariter ſaxum nomen & oſſa tenet.
Octo ſi numeres à Chriſto luſtra, ſed illis
Secula præmittas quatuor atque decem:
Hic quondam ad Boreæ quo vitam finiit axem,
Indicium certi temporis eſſe ſcias.

Henricus Ranzouius Breidæ filius, moritur anno M. CCCC. XCVII. apud auum, ac patrem conditus.

Tertius hinc Caiiq́ nepos, Beidæq́ relictus
Filius, Heroo ſtemmate dignus erat.
Pectoris Henricus donis, inſignis & armis,
Eloquio pollens, iuſtitiáque fuit.
Conſiliiſq́ ſuis vrbes moderatus & aulas,
Regibus acceptus, principibuſq́ fuit:
Notáque Chriſtiadæ quondam prudentia regi,
Qui tenuit primus Danica ſceptra manu.
Præfectus fuit hic Steinburgæ ſtrenuus arcis,
Iuráque diſtribuit lancibus æqua ſuis:
Certa ſuæ ſtirpi Romæ quoque iura parauit,
Quæ teneat ſerus poſt ſua fata nepos.
Hamburgam decorans magnus qua Carolus vrbē,

Tem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Templa cathedrali ſede ſacrata dedit.
Quinque ter à Chriſto fluxerunt ſecula, demas
Tres annos, quando fata quieta ſubit.
Hic patrios iuxta cineres, ſua frigida condi
Oſſa iubens, vitæ mortuus iuit iter.

Ioannes Ranzouius Henrici filius eodem loco humatus, ad cuius tumulum hoc elogium marmori inſculptum legitur.

Iohanni Ranzouio nobili Holſato, qui poſt ſuſceptum Balthei militaris decus & perluſtratas remotiſſimarum gentium prouincias, quãtum pacis belliq́ue artibus, omnibuſque corporis, atque animi eximiis bonis eniti potuit, id omne ſecundum pietatem in Deũ, vni patriæ, eiuſq́ue laudatiſſimis principibus Friderico I. Chriſtiano III. & Friderico II. Danorum ex ordine regibus, huiuſq́ue patruis Iohanni & Adolpho Holſatiæ ducibus impendit, feliciſſimo euentu, vt pote ſummus cũ iuſto imperio dux, exortis ſubinde bellis deſtinatus, ſemper victor, qui præter copias, deditaſq́ue vrbes atque arces, profligatos eiectoſq́ue procul Cimbricis & Holſatis finibus hoſtes rebellium Ditmarſorum contuſam ac fractam armis contumaciam, octies patentibus in campis diuerſis prœliis ſuperatas hoſtiles acies, vel ab ipſius indulgentia vel à fæda fuga vitam coëgerit impetrare, illuſtri, & fidei erga patriam, eiuſq; prin-

 cipes,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

cipes, & clementiæ erga victos gloria, quam ad fatalem maturæ ſenectutis horam, ſine fortunæ ludibrio perduxit, ſicq́; domi ſuæ, ætatis veniam nactus, omnibus animi ſenſibus integris, in chariſſimę coniugis, filiorum, & nepotum complexu, æterno numini ſpiritum à quo acceperat firma in Chriſtum fide, & certa reſurrectionis ſpe confirmatus reddidit, Henricus & Paulus filij, parenti chariſſ. mærentes poſuere. Obiit anno Domini M. D. LXV. die XII. menſis Decembr. cùm vixiſſet annos LXXIII. & menſem I.

Epigramma in eundem.

Quartus Ioannes à Caio, ſtemmate natus
Ranzouio, clarum nomen ad aſtra tulit.
Pro cunis infans clypeum Mauortis habebat,
Fouit & hunc proprio Pallas amica ſinu.
Europæ, magnæq́; Aſiæ florentia luſtrans
Regna, ſolum iuuenis circuit, atque ſalum.
Aurea fortis eques meruit calcaria, & enſem,
Mars ſimul hunc armis induit ipſe ſuis.
Adfuit in grauibus ſemper victoria bellis,
Cepit vt hic vrbes, oppida, regna, duces.
Finibus Holſatis binas conſtruxit & arces,
Itala certantes arcibus ora tuis.

Quin-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Quinque ter & ſeclis, & quinque ter inſuper annis
Addas à parta Luſtra ſalute decem,
Cùm felix heros poſt bella grauiſsima victor
Grandæuus placidè migrat ad aſtra ſenex.
Addita maiorum ſimul oßibus oſſa quieſcant;
Quáque auus & proauus conditur, atque pater.

Aliud.

Si manuum vires, animíque immobile robur
Vincere, ſi pietas fata, queátque fides:
Nobilis hic heros nunquam ceßiſſet ad vmbras,
Quo vix quis maior mente, manuq́ꝫ fuit.

Aliud in tumulum eiuſdem C. Kellingh. V.I. doctor.

Conditur hoc tumulo rara pietate IOANNES
Ranzouius, priſco ſtemmate natus eques.
Regibus impoſuit tribus hic diadema ſuperbis,
Fertile Danorum qui coluêre ſolum.
E quibus, iniuſtè Chriſternum bella mouentem,
Sedibus auertit Marte potente, tribus.
Frena recuſantes multas compeſcuit vrbes,
Submiſitq́ꝫ ducum colla ſuperba iugo.
Dania ſæpe eius norat fortiſsima nomen;
Senſit & illius pulchra Lubeca manus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Quæ tulit illius Schoningia ſigna triumphi
Oetinum, & pariter terra Fiona refert.
Eſt & adhuc memor hoſtilis Iudlandia cladis
Nauclerum domuit qua ſua dextra trucem.
Omine teſtis & eſt pugnans Ditmarſia nuper
Infauſto cuius mœnia victa iacent.
Sic felix fuit, & fortem ſe præſtitit, vt cùm
Consereret victor bis quater hoſte manus.
Quid referam mores mixtos grauitate decora?
Quid, quòd erat vinctum cum bonitate decus?
Integer ipſe fuit maculis non oblitus vllis,
Atque tulit ſortem, qualiter illa fuit.
Conſiliis populum dubitantem iuuit honeſtis;
Iuuit & afflictos pro bonitate viros.
Rebus in ambiguis vultus non ſumpſit acerbos;
Nec fati elatis proſperitate fuit.
Sed mens illius certo deducta tenore,
Quod fuit ante pedes, excutiebat opus.
Hinc ea clara viget geſtarum gloria rerum:
Omnibus ipſius eſt cognita fama locis.
Sed poſtquam ſenio confectus & integer æui
Senſit ſe vitæ continuaſſe viam:
Speq́, fideq́, Deo certus conſtanter adhæſit;
Et ſic voce pia cùm moreretur ait:

Red-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Reddam animã Chriſto, mea pignora chara valete:
Et tu me gremio ſuſcipe Chriſte tuo.

Aliud in quo Ioannes Ranzouius loquitur de ſeipſo: auctore filio H. R.

Hoc mea marmoreo ſunt cõdita membra ſepulchro,
Qui decus Holſatiæ nobilitatis eram.
Conſilio bonus, & præſtans illuſtribus auſis,
Marte feros domui, pacis amator eram.
Omnia non dicam, ſed & hoc te ſcire volebam:
Jn magno virtus corpore magna fuit.

Aliud.

Dum licuit voluitq́; DEVS mihi vita placebat,
Nunc mors eſt animo non grauis ipſa meo.
Sed patriæ forſan nimis immatura videtur,
Semper viuenti quæ mihi chara fuit.
Pro qua non timui terráque maríque labores,
Et quoque præſentem lætus adire necem.
Illa meam nunc forſan opem deſerta requirit,
Sæpius in magnis quæ fuit auſa malis.
At mihi quo pacto nimium properata ſenectus
Abſciderit vitæ ſtamina pulla meæ?
Naturæ (quod cumque datum) ſatis & mihi vixi:
Sic ætate grauis perfero fata lubens.
Namque quotis æuum iam tot producitur annos

Quot mihi præſcripta viuere lege datum?
Et vita ſatis ad laudem quod ſufficit, egi:
Nec perijt virtus noſtra caduca nimis.
Gloria per totum mea iam percrebuit orbem
Qua radiis cuncti Solis aditur equis.
Illa ſuperſtes erit donec benefacta probare,
Suppliciiſq; malos ſubdere, moris erit:
Sic merui, virtute bonam dum perfero famam,
Et mihi pars vitæ nulla labore caret.
At dulces vtinam moueant mea facta nepotes,
Vt fieri ſimiles aut ſuperare iuuet.
Nondum etiam horrebant prima lanugine malæ,
Cùm functo fatis arma parente tuli.
Hinc lubuit procul amotas inuiſere terras,
Et magni varios orbis adire ſitus:
Viſa mihi tellus, quam flauus arare Britannus,
Lædere quam ferro fuſcus Iberus amat:
Quam molles habitant Itali, Cretéſque, Syríque;
Quam gentes Aſiæ Martis amore truces.
Ad Solymas ſacras fortunatúmque ſepulchrum
Sum meritis nactus nomen equeſtre meis.
Hoc etiam feci pulchris illuſtrius auſis,
Et decus extendi Marte togaq; meum.
Nam patriam claros repetens per Teutonas oram,

Geßi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Geſsi victrici fortia bella manu.
Et via quas longinqua mihi patefecerat artes,
His patriæ cœpi commodus eſſe meæ.
Ipſa mihi teſtis meritorum Dania pugnax,
Quam lata profert ius ditione ſuum.
Nouit & Oceanus mea Balthicus inclyta facta,
Creuerit vt fuſo ſæpe cruore rubens:
Virtutémque meam merito complexa fauore
Quæ mihi natalis Cimbrica terra fuit.
Hanc quoque cum damno mirata bis Hafnia capta,
Principibus ſedes Hafnia grata ſuis.
Cognouítque potens armis opibusq́; Lubeca,
Eminet Arctoo quæ decus alta ſolo.
Nec ſecus hanc tam clade ſua Ditmarſia ſenſit,
Cùm ſubÿt iuſtum me duce victa iugum.
Et tamen eſt quod iuncta mihi quoque debeat vltrà
Vita quòd eſt multis voce redempta mea.
Sic operam tribus impendi pro regibus omnem,
Sub gelido regnum qui tenuere polo.
Et charæ vigilans Patriæ ducibúſque dicaui,
In me quicquid opis conſiliiq́; fuit.
Hinc opibus partis, patriæ natale ſubiuit
His quoque collatis amplificare decus.
Impenſisq́; duas conſtruxi grandibus arces,

Quas

Quas ſoboles æqua nunc mea ſorte tenet:
His precor vtantur poſt ſecula multa nepotes,
Et mea conentur fortia facta ſequi.
Hac fragilis vitæ curſum ratione peregi,
Sic obij mortem ſuſtineoq́ue lubens.
Depoſitum tumba corpus mortale quieſcit,
Spiritus in ſancta ſede perennis agit.

De obitu eiuſdem ex Cancellaria regis Daniæ.

Cùm placido vitæ mutaſſet tempora fato
Heu Ianus hic RanZouius;
Luxerunt nati, coniunx, Holſatia tellus
Vno ore plangentes patrem:
Mars tumulo impoſuit laurũ, zonamq́ue trophæũq́ue
Et hoſtibus demptas opes:
Pax etiam aut concors huic, aut contraria Marti
Laudauit ipſa animum viri.
Fama hinc diſpergens latè ore, manuq́ue ſecuta eſt,
Virtutis excellens decus.
Qualiter hunc igitur duxiſſe putabimus æuum,
Per luſtra bis ſeptem & tria?
Tot nãq́ue hic vixit, quẽ Mars, Pax, Fama peremptũ
Laudent, requirant, efferant:

Et pia

Et pia cum natis coniunx viduata marito
Et patria lugeant patrem.

Aliud D. Ioannis Pennibuttelij.

Conſilio validiſq́ue potens Ranzouius armis,
Ille Pater Patriæ moriens hac conditur urna,
Scilicet hoc viuo nunquam ſe Cimbria vinci
Paſſa fuit, ſemper victrix ductore receſsit.

Alia inſcriptio monumenti marmorei.

Henricus Ranzouius, Ioannis filius, Henrici nepos, Bredonis pronepos, Caij abnepos, Regis Daniæ in Ducatibus &c. Locum tenens, Dominus in Bredenberga, Ranzouis Holm, Nutsſchou, Melbecke, VVandesburg & Thuſchenberg, hoc monumentũ in honorem Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ac memoriam maiorum ſuorum iuxta altare Sanctæ Trinitatis ſepultorum hîc poni curauit, Anno Domini, 1578.

Sunt hîc tres nati tumulis, ſunt tréſque nepotes
Ranzouij, qui ſex ordine bis duo ſunt.
Ianus & Henricus, Breido, Caiuſq́ue ſepulti,
Filius atque parens, ac auus, ac proauus.
Ordine Ranzouidum veteri de ſtemmate nati,
Reddet at horum animas quattuor vna dies.

K Hen-

Henricúſque nepos, qui ſtemmate natus eodem
Quattuor his iungi poſt ſua fata cupit.

Querela Henrici Ranzouij, in obitum patris.

Cùm pluit, & Phœbus ſua lumina ſubtrahit orbi,
Quilibet intentus luctibus eſſe ſolet.
Mirum ergo ſi ſim triſtis pater optime Iane:
Ecce pluo lachrymas, tu mihi Phœbus abes.

Querela Storæ fluuij, de morte eiuſdem. H. R.

Riuule cur præter ſolitum tuus humor abundat
Dic Stora? Lucidulam quis tibi turbat aquam?
Ranzouij miſerum me triſtia funera turbant;
Creſco ego de lachrymis perditus ipſe meis.
Ille erat heu ſummi viuens mihi cauſſa decoris,
Ille mihi moriens abſtulit omne decus.
Ne mihi quis lympham violaret, condidit arcem
Me propè depreſſo Palladis arte ſolo.
Extinctum plangăt Pax, & cum Marte Mineruæ,
Relligio, Charites, Cimbrica terra patrem.

Querela Wellulæ ſyluæ.

Ranzouius poſtquam crudeli funere raptus,

Ceſſit

Ceſsit ad Elyſij regna beata ſoli,
Fleuerunt montes, fleuerunt paſcua & amnes,
Atque pharetratæ candida turba Deæ.
Aruit immenſo viridiſsima ſylua dolore
Vellula, glandiferis culta cacuminibus.
Squalet ager, lætíſque carent nunc frugibus arua;
Cuncta dolent, tanto depereunte viro.

In effigiem Ioan. Ranzouij.
H. C.

Talis Ioannes facie ſpectandus, & armis
Ranzouius, pugnas quando ciebat, erat:
Stirps hæc Ranzouidum, ter centum floruit annos,
Inclyta qua veteri Cimbria laude viget.
Accendit iuuenem Virtus, & gloria Martis,
Cùm petiit vaſto regna Britanna mari.
Vidit & Heſperiam, Creten, Solymaq́ue ruinas
Et Syriæ populos, Argolicaſq́ue plagas:
Venit & Italiam: poſt tot diſcrimina reges
Præficiunt armis, imperijſq́ue Ducem.
Sceptra bis ancipiti repetiuit Danica bello;
Hunc ſtupuit trepidis, Traua cruentus, aquis.
Ditmarſos acie vicit, regíſque ducúmque
Auſpiciis, priſcos fortiter vltus auos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Nec minus hic pacem coluit, quæ Marte repulſo
Extulit ad Boream, Pallade cincta caput:
Nunc tanti herois laudes veneratur, & effert
Cimbria & Arctoo proxima regna polo:
Virtutesq́; patris nati virtutibus æquant
Et genere, & tanto dignus vterq; patre eſt:
Contulit Henrico clypei quia tegmina Pallas,
Et Paulo Mauors arma coruſca dedit.
Pergite ſic, nati: tu, Dux fortiſſime, ſalue:
Inter & Heroes, inter & aſtra, vale.

Aliud eiuſdem.

Fulgidus auratis ductor ſic ibat in armis
Ranzouidum Ianus, ſtemmate natus eques:
Europam atque Aſiam viridi luſtrauit in æuo,
Regibus armorum dux tribus vnus erat.
Hafnia bis capta eſt, commota eſt Dania bello,
Reddita ſunt Dominis ſceptraq́; auita ſuis.
Viribus hinc luctans, tumefacti cornua Trauæ
Fregit, & infectas ſanguine ſparſit aquas.
Cuncta paludoſis Dithmarſidos agmina foſſis,
Strauit, & inuictas antè dedêre manus.
Æmulus Alcidæ, priſciq́; Heroibus æui,
Nunc comes Elyſia valle receptus adeſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Sub togati Ioannis Ranzouij Icone ex Alabaſtrite. H. R.

Hoc Ego Non Ratio Illius Cùm Vera Subitu R
Eſſe decus magnum ſtatuo, tractata per arm A,
Non etiam pacis ſtudio ſibi quærere nome N
Rectè agitur, ſumptis cùm pax componitur armi S.
Id decus eſt verum, ſic tu, pater optime bell A
Cùm gereres, regnum, hoc peragebas omnia fruct V,
Vt ſtabiliretur pax & concordia regn I:
Sic & ego contendo, meo pax vt bona ſuaſ V
Regnet Agris, Noſtris, Seq; Addat Vt Inclyta Virtu S.

De armis Ioannis Ranzouij. H. R.

Diuidere arma Patris cùm vellent bellica nati,
Corpore quæ proprio geſſerat ipſe ſuo:
Mars clypeum abiecit, dixitq́ O parcite, nati,
Parcite, in his aliquid Mars quoque iuris habet:
Quæ toties genitor defendit ab hoſtibus arma,
Turpe, ea ſi natis diripiantur, erit.
Integra, dante Deo, poſt triſtia facta manebunt,
Vt ſacra, dum vixit, tutaq́ ſemper erant.
Ergo dedit Paulo, fraterni pignus amoris,
Henricus partem, Marte monente, ſuam.
Exoptátque armis cum laude vtatur ijſdem,
His vſus genitor qualiter antè fuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Aliud de iiſdem Armis. H. C.

Dum certatur, vter fratrum ſibi vendicet hæres,
Aurea Ranzouius quæ tulit arma pater:
Mars, Pallasq́ aderāt: prior hæc, poſt funus Achillis,
Ex armis quondam lis grauis orta fuit.
Hæc neque partiri fas eſt, non enſis ab haſta,
Non galea thorax diſſociandus erit:
Arma Thetis nato, nato Cytherea: ſed hæc tu
Belligero iuueni belliger arma dabas.
Armorum cedit tibi ius, & plena poteſtas:
At mihi, quæ poßim, munera ferre licet.
Ergo iuncta ſimul, cui tu dabis, alter habebit:
Armandus dono Pallados alter erit.
Tum Mars arma humeris aptans fulgentia Paulo,
Dixit, In his pugna, factaq́ vince patris.
Pectus at Henrici propria tegit ægide Pallas,
Ac opus in magnis, hæc tibi, dixit, erit.

Sex fratres, ex eadem familia, de noua domo Epigramma.

Cùm ſatis ad laudes, & nomina clara putarem
RanZouidum, quæ nunc carmine nota tibi:
Bis tres his, dixit, iungas ex ordine fratres,
Mnemoſyne, canas quæ veneranda comas.
His quoque ſtirps eadem, virtus præclara, labores

Pro

Pro Patria varij, ſors quoque digna legi.
Clarus Ioannes pater hic florebat ad Arcton,
Clarior, vt natos bis dedit ille duos.
Plura notans memori dictabo recondita mente,
Perueſtigatis acta voluminibus.
Hac pia Mnemoſyne, mox euaneſcit in auras,
Et manet attritis charta vetuſta notis.

I. Balthazar Ranzouius Epiſcopus Lubecenſis, obiit anno CIↃ. IↃ. XLVII.

Balthaſar inſignem ſacri qui geſsit honorem
Præſulis, in templo clara Lubeca tuo:
Cuius dextra pedum præfert, & mitra bicornis
In capite, inq; humeris pallia fulua nitent:
Editus hic claro de ſtemmate fulſit: at alti
Officij & generis, quàm citò fluxit honor:
Exceptum inſidiis hunc clam tenuere Cyclopes
Infeſti ſceptris Dania celſa tuis.
Nulláque cauſa fuit, niſi ſpes teterrima lucri,
Quæ tulit immerito vincla, necemq; viro.
Namq; animo ſortem dum vincere certat acerbam,
Nec quicquam contra iura, decúſque facit:
Liberat hunc dextra Lacheſis, vitæq; reuellit
Stamina, mens cælo corpore miſſa volat.
GolZia pagus erat, qua Marchia fruge redundat,

Hic

Hic dedit exilij vis inimica locum.
Quiſquis es, haud generi, nec honori fide caduco:
Aſpera cùm ſortis vis venit, illa iacent.
Fortunam ſuperat virtus, hæc ſola ſuperſtes
Tutaq́ue vel totus corruat orbis, erit.

II. Melchior Ranzouius ſummus conſiliarius duorum regum Daniæ Frederici I. & Chriſtiani III. & præfectus Flenſburgenſis, ſepultus Hafniæ.

Melchior ingenio, virtute, & ſanguine clarus
Floruit Arctoi laus, columénque ſoli.
Eloquio dulci prudentia iuncta vigebat,
Dictus ob id Suadæ blanda medulla fuit.
Sermonis Latij, Gothici, Daníque peritus,
Sub Boreæ Neſtor Cimbricus axe fuit.
Conſiliis ſummis Regali præfuit Aulæ
Ardua res quando diſcutienda fuit.
Regis amor fuerat Friderici, curáque regis
Chriſtiadæ, Martis clarus & arte togæ.
Dania defunctum, regalis & Hafnia luxit,
Oſſáque ſacrata ſeruat in æde lapis:
Quæ capiunt lecti capitis diademata reges;
Conſiliis fidis tantus habetur honos.

III. Caſparus Ranzouius, Dominus in Smolde, præfectus arcis Flensburgẽſis, ſepultus Haderſlebij.

Quà iacet arx alti Flensburga crepidine ſaxi,
Et freta contracta Balthica fauce tument:
Regius imperium domini præfectus obiuit
Caſpar Ranzouia ſtirpe creatus eques.
Hic ducis officium vigilantis præſtitit acer;
Non ſibi, ſed regi conſuluítque ſuo.
Smolaaq́ꝫ domus fuit hic poſſeſſor, & agri,
Atque ſagax animo, pectore fortis erat.
Extincti cineres tenet Haderſlebia buſto,
Quæ recolit tanti nomen & acta viri.

IIII. Breida Ranzouius, Dominus in Rethvviſch & Bolgenſtede, præfectus inſulæ Fimbriæ, & Vicarius regis Chriſtiani III. in Holſatia, anno ætatis 56.

Quartus Breida ſubit, celebris qui Marte togaq́ꝫ
Ranzouicum retulit pectore & ore genus.
Fertilis hunc agris præfectum Fimbria vidit,
Inſula Balthiaco Fimbria iuncta mari:
Turritæ procul haud quæ culmina celſa Lubecæ,
Aſpicit, & tremulo tecta ſuperba mari.
Hunc rex Chriſtiades, qui Danica ſceptra gerebat

Belgica cum valida miſit in arua manu.
Cæſaris at victus ceßit victricibus armis,
Cui ſemper flatu ſors fuit æqua ſuo:
Illius auſpiciis cùm fortè Georgius agmen
Schenchius Hollandis duceret acer agris.
Carolus at captum poſtquam dimiſerat vltrò
Virtutis propter ſplendida dona, virum:
Inclytus Holſata reducem rex præficit oræ,
Qua ſua Chriſtiades regia iura tulit.
Haſce regens æquo præſes moderamine terras,
Segberga tenuit regis in arce locum.
Poſt varios caſus mens immortalis Olympo
Reddita, mortalis pars data ceßit humo.

V. Henricus Ranzouius Cõſiliarius Ducis Adolphi Holſatiæ, ac Ditmarſiæ, ac Dominus in Eſchelſ-marck, & Sate-Wiſch.

Hunc facit inuicta clarum conſtantia mentis,
Paruit in Cimbris cui Satewiſchus ager.
Aſpera Daniacas ſtreperent cùm bella per oras,
Regia caſtra ſequens, captus ab hoſte fuit.
Hunc turri vinctum Comes Oldenburgicus alta
Detinuit, dum ſol annuus egit iter.
Nempe ſuo tantos ſubiit pro rege labores,

Facta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Facta tamen ſortis mitior aura fuit.
Conſiliis reducem princeps adiunxit Adolphus,
Cætera fluxerunt fata ſecunda viro.
Qua vada ſiluoſis ſtagnant Meſſundica ripis
Coſtebica tectum corpus in æde cubat.

VI. Sigefridus Ranzouius Dominus de Nienhuſſ, Ducis Holſatiæ Iohannis cõſiliarius & præfectus arcis Haderſleben, ſepultus Gikovv.

Arx vbi fertilibus iacet Haderſlebia campis
Qua ſonat vndiſono Cimbria pulſa mari:
Dux vbi pacis amans, ſapiens, pius, inclytus, acer,
Sedis Iohannes iura paterna tenet:
Ranzouici generis, præfecti munus obiuit
Sigfridus præſtans conſilio, atque fide.
Pax dedit huic clarum, pariter victoria nomen,
Semper erat compos huius, & huius amans.
Nec contracta premens in tergore pectora gibbus
Obfuit, at ſolido robore firmus erat.
Clara viri virtus hac formæ damna rependit,
Suppleuit gratas ingeniumq́ue vices.
Si formoſa ſatis mens eſt, moreſq́ue venuſti,
Nil deforme tibi corpus obeſſe poteſt.
Hic quamuis ſterilem duxit ſine coniuge vitam,

Oderat haud ſocij iura ſacrata thori.
Hinc placida migrans Sigfridus morte, reponi
Gicouio voluit corporis oſſa ſolo.

Ad Henricum Ranzouium, Vicarium Regium, &c. H. Cunr.

Hæc ſi fortè tuam capiunt Epigrammata mentem,
Et mea natiuo muſa colore placet:
Quæ nec amat fucum, miróque toreumata ductu,
Quæ ludunt varijs lumina ſæpè modis:
Perlege, quæ reſtant, monumenta Henrice tuorum,
Iudicio lector nam probat illa tuo.
Gratia me breuibus iubet hæc contexere: Candor,
Simplicis hiſtoriæ lucida fila ſequi.

Chriſtophorus Ranzouius, Othonis filius Hæres in Bulck & Knop, Conſiliarius Illuſtriſſimi Principis, D. Ioannis Ducis Holſatię, præfectus arcis Rendesburgæ, ſepultus Chilonij apud patrē Othonem.

Canicie venerande ſenex, & honoribus æui,
Quæ dabo iam meritis carmina digna tuis?
Chriſtophorus dictus, Chriſtum qui corde gerebas,
In precio ſemper quod tibi nomen erat:
Clarus Otho virtute parens, virtute parentem
Filius æquabat, nec pietate minor.

Holſatiæ princeps cui credidit abdita Ianus
Pectora: tanta viri iuſtitia, atque fides.
Præſidio tenuit Rensburgam ſtrenuus arcem,
Mitis & agricolis, hoſtibus aſper erat.
Non pia Ditmarſo deerat moderatio bello,
Conſiliis iunctus cui fuit ille ſenex.
Quidquid ab officio, Martíſque ſuperfuit armis
Temporis, hoc ſacrum fecerat omne Deo.
Moſeos huic libros, arcanáque noſcere vatum
Scripta ſenectutis dulce leuamen erat.
Chilonium cineres tenet, atque inſcribitur vrnæ:
Nobilis, & pius hic, acer, & æquus erat.
Non tam Ranzouiæ curabat ſtirpis honorem,
Quàm Chriſti merito quòd ſibi partus honor.
Hic cælo nunc durat honos, & vita perennis,
Qua ſine mors vita eſt, & pudor, orbis honor.
Diſcite nobilium proles, quid & inclyta virtus,
Quid pietas: pia vos, rectaq; facta docent.

Paulus Ranzouius, Caij filius, bello Germanico Signifer in obſidione Lipſenſi, peſte periit, anno M. D. XLVII. ſepultus in oppido Seitz.

Arſit vt infauſto Germania concita bello,
Et tremuit propria viſcera mota manu:

Cæſar & Hiſpanas eduxit in arma phalangas
Nempe tuos contra Teutonis ora Duces:
Arduus hic dextra iuuenis volitantia Paulus
Ranzouius campo ſigna patente tulit.
Acer & ingrediens animo vexillifer alto
Monſtrauit ſociis voce manúque viam.
Ianus vt Elector Fridericus Lipſica cinxit
Mœnia, (quæ Phybræ nomine dicta putant)
Peſtifera Martem conſumptus morte reliquit,
Enſibus & valuit plus inopina Lues.
Seitza dedit tumulum; ſociæ gemuere cohortes,
Et procul aſperſis Cimbria mœſta genis.

Henricus Ranzouius Caij filius Canonicus Hamburgenſis cum Carolo V. ſub duce Adolpho ad Metenſem profectus obſidionem, obiit Treueris, anno M. D. LIII.

Ædis hic Hamburgæ pars cœtu Henricus *in illo,*
Qui Canonum ſeruant libera iura, fuit:
Mens addicta ſacris, ſed dextra paratior armis
Huic *fuit, & duri Martis amabat opus.*
Cæſar vt obſedit Metenſes milite portas
Carolus, hic turmæ dux fuit acer eques.

At per caſtra fuit tumor atris faucibus ortus,
Sæuior & morbi vis ea Marte fuit.
Ardor vbi linguæ fibras flammantis aduſsit;
Nec dubiam tulit hæc peſtis acerba necem:
Cauſa fuit quamuis Solis rapidiſsimus æſtus,
Attamen & vini vis quoque cauſa fuit.
Tunc Treuirũ famam tumulatus in vrbe reliquit,
Ad luctum iuuenis Cimbria clara tibi.
Stemmatis in templo ſeruant monumenta columnæ
Quæ galeæ, & clypei, ſplendida ſigna micant.

Ioachimus Ranzouius Dominus de Potloſen vexillifer Ducum Holſatiæ in Ditmarſia, ſepultus in Oldenburg, anno 1560.

Potloſiis reſidens hæres Ioachimus in aruis
Auxit Ranzouidum Martis honore genus.
Cùm geſſere duces, terra Ditmarſide bellum
Præditus hic forti pectore, ſigna tulit.
Signa per æratas latè fulgentia turmas,
Cùm fuit Holſato reddita terra iugo.
Ante diem tumulo vctus Oldenburgia texit,
Corpus humo dormit, mens volat alta polo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Daniel Ranzouius, cuius tumuli hæc eſt inſcriptio, obiit anno Domini M. D. LXIX. XI. die menſis Nouēbris.

NOBILI viro Danieli Ranzouio, equiti Holſato, Domino caſtrorum Nienhoues, Troieburgi, & Vuoldenhorn; belli inter sereniſſimum Danorum regē, Fridericum ſecundū, & Suecos per ſeptēnium geſti, ſummo duci & primario adminiſtratori multarum pugnarum acerrimarum, cum Suecis manu prorſus impari commiſſarum, victori; in illorum regione viarum abſtruſarum, & antehac incognitarū inueſtigatori ac inuentori, earundemque vrbium, pagorum & agrorum euerſori ac depopulatori: de rege ac regno Daniæ optimè merito gentili, cognato & amico ſuo chariſſimo, qui in obſidione arcis Vuarpurgæ tormento ictus, moriendo vincēs vitam viriliter profudit: Henricus Ranzouius D. Ioannis Ranzouij filius in Ducatibus regis Daniæ Vicarius, hoc non tam priuati quàm totius Daniæ ac Holſatiæ luctus perpetuum monumentum mærens non ſine lachrymis poſuit.

Epigramma H. Cunrad.

Hoc Daniel tegitur Mauortis gloria buſto,
Ranzouidum antiquo ſtemmate natus eques:
Qui vanos mores, vt noſcere poſſet, & vrbes
Luſtrauit patrio diſsita regna ſolo:

Et ve-

Et veteris Latij veſtigia vidit; & arte
Palladis inſtructum nobile pectus erat.
Diuus & hunc proceres, & belli Carolus inter
Ductores habuit, ductor & ipſe fuit.
Claruit hinc factis illuſtribus edita virtus,
Nota per Auſonias Heſperiaſq; plagas.
Dextráque cùm regi perſpecta fidéſque fuiſſ nt,
Et noua cum Suecis bella gerenda forent;
Solus erat, rerum moles quem tanta vocabat,
Totius huic belli credita ſumma duci eſt.
Maxima cum ſæuis iniit bis prœlia Suecis,
Bis victor capti treſq; fuêre duces.
Semper & affulſit proprio victoria fato,
Arduus inuicta qua tulit arma manu.
Daniacæ viuens fuit hic tutela coronæ,
Magnanimo præſtans pectore, mente ſagax.
Quicquid conſilio geſtum eſt, dextráque ſub armis
Ranzouij dextra conſilioq; ſtetit.
Ductorem hunc ſummũ iam ſeptima viderat æſtas,
Et poterat meritæ laudis honore frui:
Warpurgam demum ſed milite cinxerat arcem,
Cannáque fulmineos miſit vtrinque globos:
Hic fortem impendit regi, patriæq; cruorem,
Vitáque ſub duro Marte profuſa fuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Hunc rex, hunc patria, ipſa ſalus hunc publica, luxit,
Famáque Ranzouidum tollit in orbe decus.
AEthere mens ſtellis certat fulgore coruſcis,
Quam ſola in Chriſtum vexit ad aſtra fides.
Hic Mars ad tumulũ Herois, virtuſq; parentant,
Et ſpargit lachrymas Dania mæſta ſuas.

Aliud.

Hic ſitus eſt Daniel Ranzoa ſtirpe creatus
Qua tulit illuſtres Cimbria Marte viros.
Aonias primùm cupidè puer hauſerat artes,
Diuerſis adiens extera regna plagis.
Maternam præter, tres linguas ore diſerto
Calluit, ingenio vectus ad aſtra ſuo.
Sed mens alta virum Mauortis ad acta ferebat
Quando caput magni Carolus orbis erat.
Qui fuit excelſos animos miratus, & vſum
Armorum belli conſtituitq; ducem.
Italiæ luſtri ſpacium tranſegit in oris:
Clarior & dextra nemo fidéque fuit.
Hinc Peynæ redeuntem arci præfecit Adolphus,
Eſt vbi mox peditum lecta, equitúmq; manus.
Aruaq; ſublatis petiit Ditmarſica ſignis
Quæ dominis ferro ſunt repetita ſuis.
Dux ſed vt occubuit mediis Schonuueſcus in armis,
Ran-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Ranzouius tantas iuſsit obire vices.
Maius at vt bellum Suecis exarſit in oris,
Principio vnius dux legionis erat.
Mox ſummum accepit ductorem exercitus omnis,
Ac meruit primum dextra fideſq́ locum.
Rex fuit expertus ſeptem Fredericus in annos
Pro ſe, pro patria bella ſalute geri.
Biſq́ acie iuſta infenſos pugnauit in hoſtes,
Biſq́ manu quamuis impare victor erat.
Treſq́ duces belli cepit, duxitq́ triumphos,
Hoſtis & eſt latè depopulatus agros.
Id renuens Dauid, cùm rara ſit inter amicos,
Quis ſtabilem (dixit) ſperet in hoſte fidem?
Suecius interea Rex carcere clauſus Ericus,
Et pacem Ianus frater opemq́ petit.
Pax licet affulſit, ſubitò tamen arma reſumunt,
Arx Warburga ſimul milite cincta fuit.
Fortior hic victor ſtans edidit halitum in auras,
Spes ſua qui regis, ſed metus hoſtis erat.
Perpetuos famam virtus extendit in annos,
At ſedes animæ regia celſa poli eſt.

In eiuſdem immaturam mortem.

Vidit vt exanimem Danielem Dania, dixit,
Fortius hoc belli tempore nil habui.

Huic niſi tam properum ferret mors inuida finem,
Optatus belli iam mihi finis erat.

Aliud de eodem.

Mors retulit Marti, Parcas mox velle ſeueras
Rumpere ductori ſtamina Ranzouio:
Fatáq; mutari non poſſe, exarſerat ira
Belliger, & voluens lumina torua, refert.
Non ea Parcarum fuerit nunc gloria, morti
Tradere Ranzouium, præueniam ipſe deas.
Miſcuit in verbo, denſo ſimul aëra fumo,
Flamma micat, reboant littora, terra tremit.
Acta ſimul volitans inopino pertulit ictu
Ferrea glans frontem, præcipitátque ducem.
Ranzouium ſtrauiſſe ducem, non gloria mortis;
Non ea Parcarum eſt: gloria Martis erat.

Aliud.

Nuper vt aſpexit Danielis funera Pallas,
Martiáque ereptum caſtra dolere ducem;
Ingemuit, tremuláque manu dea concutit haſtam;
Et trucis indignans Martis ad ora, refert.
Eſſe mihi poterunt quæ Mars commercia tecum?
Ecce tuo cecidit crimine noſter amor.
Quid tibi conſilij contempta Pallade reſtat?
Sunt equidem ingenio bella gerenda meo.

Exilio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Exilio tibi robur erit, mea cura ſaluti,
Ni ſapis euertet téque tuóſque furor.
Sic ait, & gelidis Pallas dedit oſcula malis,
Et ſuper effuſis buſta rigat lachrymis.

Aliud.

Pelides Danaûm decus eſt, & gloria gentis
Hectore magnanimo Troia ſuperba fuit.
Miratur Decios, miratur Roma Metellos;
Ranzouius patriæ eſt gloria ſumma ſuæ;
Conſilio prudens, ſermone diſertus, & acer
Bellator, præſtans lingua, animo, atque manu:
Fortis & inſigni excellens virtute, fidéque;
Ingenio clarus, clarus & eloquio:
Heu cadit ante diem, verſat ſic omnia fatum
Et ſors, virtuti ſors inimica bonæ:
Fortiter hic etenim in Suecum dum fulminat, alta
Arx vbi Warpurgum tollit ad aſtra caput,
Suecum quem toties domuit, volat ecce repente
Ferreus, hoſtili miſſus ab arce, globus:
Nec mora, magnanimi ſacrum ducis impetit ictu,
Ah nimis infauſto, comminuítque caput.
Hoc erat occiduo quod viſus in orbe, diebus
Iiſdem prædixit, triſte cometa tuens.
Nunc dolet amiſſum Rex, miles, plebs, proceresq́;

Patria mæſta dolet, Dania mæſta dolet.
Sed mors, nil niſi quod fuerat mortale, reſoluit
Corpus: Virtutis fama perennis erit.

Aliud.

Digna duci ſtatuat ſi Dania grata petenti,
Ranzouio heroi qualia buſta dabit?
Talia: Ne, quoties dubiam fuſo hoſte ſalutem
Attulerit Danis, neſciat vlla dies.
Nec, quod vita dedit decus inſuperabile bello
Funere mors pariter tam generoſa tegat.

Aliud Nathanis Chytræi.

Conſilio dextráque potens, & gloria Martis
Hoc ſitus eſt Daniel marmore Ranzouius.
Cimbrica gens patriam, præclarum Goſgius ortum
Præbuit, antiqua nobilitate parens.
Leucoris ingenium excoluit, gens Itala mores
Et linguam, fortes Gallia culta manus.
Omnia quæ patriæ rediens conuertit in vſum,
Dum caput eſt belli Rex Friderice tui:
Dum ſponſæ & vitæ patriæ præponit amorem,
Et ruit intrepida ſponſus in arma manu:
Pro Patria nunc ille iacet, non enſe peremptus,
Machina muralis talia damna dedit.
Defunctum luget virtus, rex, patria, fratres,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Sponſa, fides, bonitas, Cypria, Pallas, Hymen,
Hoſtis & ipſe dolet, rapuit lux vna: ſed illi
Poſtmodo vix ſimilem ſæcula longa dabunt.

Querela Daniæ, de amiſſo fortiſſimo & nobiliſſimo Heroë Ranzouio, totius regij exercitus ductore primario, auctore Henningo Conradino.

Heu nihil humanum ſtabile eſt, ſors cæca vagatur,
Actáque præcipiti turbine cuncta rotat.
Omnia ceu filo tenui pendentq́; tremuntq́;,
Et varias adfert qualibet hora vices.
Quid querar? inuiſi dũ Martis ad arma reuertens
Specto rebellantis vimq́; dolúmque plagæ:
Nil tam triſte tuli, toto hoc diſcrimine belli
Funera Ranzouij quàm properata ducis.
Arx mihi de ſpecula cui nomen, ad æquoris vndas
Adiacet, at facies altera ſpectat agros:
Machina cum lectis huc ducitur ænea ſignis
Aggere qua latuit cinctus & hoſtis aqua.
Singula dum luſtrat ductor, tormentáque muris
Applicat, (heu vitæ prodigus ipſe ſuæ)
Attulit hic fatum celeres glans acta per auras,
Præbuit at victas hoſtica turba manus.
Hic vir erat, cuius fidei me debeo totam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Summáque cui noſtri credita Martis erat:
Quicquid enim fueram fortunæ experta benignæ,
Illius in dextram, numina prona, dabant.
Huic allapſa fuit niueis Victoria pennis,
Semper & in galea viſa ſedere viri eſt:
Magnanimo pugnans toties qui pectore, miſit
Milite non multo, millia multa neci.
Irruit intrepidus, rapidum ceu fulmen, in hoſtes;
Indomita ſternens obuia quæque manu:
Scipiades Italo velut agmina milite fundens
Pœnorum domuit corda ſuperba ducum.
Solus in armatas non horruit ire phalangas,
Compulit & ſubita vertere terga fuga:
Vt ſtetit in rutilis, cùm Scandebergius armis,
Erupítque oculis flamma, labriſque cruor,
Sæpius ad ſolum conterrita Suecia nomen
Palluit, & manes nunc ſtupefacta tremit:
Nam niſi victor humo deceſſit, & ardua victrix
Mens quoque fortunæ, iam ſuper aſtra volat.
Suntq́ Ducis ſeptem totos mihi nota per annos
Virtus, conſilium, pectora, dextra, fides.
Non melius contra Troiam pugnabat Achilles,
Et non pro Troia fortior Hector erat.
Nec belli vlterius fama eſt diſperſa per orbem
Inclyta,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Inclyta, quàm tanti gloria, ſpéſque ducis.
Quem ſi nuper ego potuiſſem audire monentem,
AEquora cùm duro frigore ſtrinxit hyems.
Sed te nunc gemitu fruſtra votíſque requiro;
Te decorant lachrymis Martia caſtra ſuis.
Cærula te plorat ſub fluctibus Amphitrite:
Ingemit & tinctis Hafnia celſa genis;
Rex etiam amiſſum: ſed deſino, nec mihi queſtus
Sarcire hæc poterunt damna, ſed ipſe Deus.

Reſponſio Cimbriæ.

Non equidem ſuperos aulæ cæleſtis honores
Inuideo iuueni, qui fortunata frequentat
Conſilia Heroum, terris quos extulit altè,
Et cælo æquauit virtus, vbi cernere coram
Tot datur illuſtres animas, vultusq; tueri
Ranzouij patris antiquos, & luce potiri
Communi, celeréſq; poli mirarier orbes.
At terris queror ereptum, florentibus annis,
Et tot dona ſimul prærepta: nec acrius vllum
Virtutis ſtimulabat amor, vis ignea menti,
Egregiuſq; decor membris, & plurimus amplæ
Frontis honos, tremulóque oculi fulgore micantes,
Vóxq; infracta ſono, veſtigia ſtirpis auitæ:
Qui priſcum Herminiū ſumptis præſtaret in armis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Hinc dudum agnoui generoſum, Cimbria, partum,
Auſoniæ metuenda olim, domitrixq́; Quiritum.
Hunc ſibi gens Chriſti in Turcæ Moſciq́; furorem
Poſceret, & magno adflictis optauerit emptum.
Iamq́; adeò concuſſa dolet Germania luctu,
Amiſſumq́; gemit, laceros diffuſa capillos,
Qualis conueniens iuxta Tyberina fluenta,
Marcelli ad tumulum doluit Mauortia Roma.
Æternùm ergo heros ſalue fortiſſime, ſalue
Ranzouij clarum generis decus: optima dicent
Facta tua, extremo poſitæ ſub cardine gentes,
Germanámque fidem extollent, hauſtóſque labores:
Quantum ô præſidiū, quantā & ſpem Dania perdis!
Hoc ſaluo, regnis equidem nil triſte timeres,
Et quamuis cumulet ſtrages, & cuncta cruentet,
Haud impune tamen renouaſſet Suecia Martem.
At tu magne heros, nunc cum conſorte laborum
Franciſco, dederat quem ſtirps Brochuſia, terras
Diſcordes obitu liquiſtis, & altera regna
Vnanimes colitis, quos ſancto fœdere iunxit
Vna fides, atque vnus amor, mors ſuſtulit vna:
Jllinc deſpicitis viles ex æthere curas,
Et tumidos faſtus, inceptáque callida mentis:
At potius, multos quæ vicerit vna triumphos,

Optatis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Optatis pacem: date pacem optantibus alba
Lilia, Narciſſumq́, immortaléſque Amaranthos,
Et caro cineri extremum perſoluite munus,
Ad Boream, cui Mars ſtruxit pater ipſe ſepulchrũ:
Vita hæc eſt flori ſimilis, qui naſcitur horto,
Manè leuans pulchrũ caput, at mox veſpere ponẽs
Momentoq́ hominum res omnis vertitur vno:
AEternùm at ſuperat virtus magni æmula Solis
Luſtrantis cælum radiis, terráſque calentes,
Et fruitur famæ nunquàm morientis honore.
At tibi ductores fidos, victriciáque arma
Sufficiat, ſolo qui temperat omnia nutu.

Aliud.

Suecorum iacet hic domitor, terrorq́ pauorq́,
Spes Charitum, generis gloria, Martis honos.
Ingenium, pietas, grauitas, facundia, candor,
Cuncta ſub hoc vno marmore clauſa iacent.

Aliud. H. R.

Heu belli fato Daniel Ranzouius heros
Occidit, Holſatûm gloria, fama, decus,
Bella gerens, hoſtes vicit virtute, manúque
Forti, conſiliis, auxilióque Dei.
Ille ad cæleſtem vitam migrauit, Achillem
Amiſſum deflet patria terra ſuum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Nicolaus Rãzouius Prefectus arcis Steinburgẽſis, Chriſtiani & Friderici Regum Daniæ Conſiliarius, obiit anno M. D. LXXI. ſepultus Itzohoæ.

Cæſar vt Auſonias peragrauit Carolus oras,
Armata capiens regna, ducesq; manu:
Nicoleos, fauſtum populi victoria nomen
Cui dedit antiquo ſtemmate natus eques;
Ductor erat peditum, lituos & caſtra ſecutus,
Ranzouidumq; probat mente manuq; genus.
Hinc Italo factis celeberrimus orbe reuerſus,
Et patriæ fido tactus amore ſuæ eſt.
Poſt multas hyemes ſic Cimbrica rura reuiſens
Floruit in regno Dania celſa tuo.
Gratáque Chriſtiadæ fuit experientia regi,
Et graue conſilium, dexteritasq; viri.
Filius hunc etiam Fridericus fouit in aula,
Qui gerit inuicta regia ſceptra manu.
Præfectus rexit Steinbergam regius arcem,
Pinguis in Holſato quæ iacet ora ſolo.
Cum lectis equitum turmis peditumq; maniplis
Ditmarſum petijt Réxque ducéſque ſolum.
Cúmque adiit Suecos præcinctos rupibus altis
Per loca ſcabra ſitu, per vada ſalſa maris:

Inſtru-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Inſtructum campis luſtrare patentibus agmen
Ceſſerat huic ſemper prouida cura viro.
Et pius & iuris vixit ſtudioſus & æqui,
Dux equites inter, ruricoláſque pater.
Lucida canicie venerandus ad aſtra receßit,
Molliter Itzohoæ corpus in æde cubat.
Læta per arua ruens vbi Stora ſonantibus vndis
Oceano refluas Albidos auget aquas.

Aliud. H. R.

In rebus potui qui memet vincere duris
Victus ego à fato condor in hoc tumulo.
Regna, voluptates, & opes hic quærat, & ille
Prædia, diuitias: chara mihi requies.

Theodorus Ranzouius, Henrici filius, in cuius tumulo hoc elogium.

HENRICVS RANZOVIVS Nobilis Holſatus, D. Ioannis Ranzouij F. Regis Daniæ Friderici ſecũdi vices in Ducatibus Sleſ. Holſat. & Ditm. gerens, Theodorico Ranzouio, ſummæ ſpei optimæq́ue & generoſæ indolis vix dum pubeſcenti filio ſuo dulciſſimo præpropera immaturaq; morte ſibi erepto, nec non Nicolao Ranzouio eiuſq́ue vxori Luciæ, à quibus hic Theodoricus educatus eſt, in memoriam & certam futuræ reſurrectionis ſpem poſuit.

Theodoricus { natus eſt Segeb. / Obiit Lubecæ } anno { M. D. LXI. / M. D. LXXII. } die { XXIIII. Maij. / XXVII. Iunij.
Anno ætatis ſuæ II.

 Pater

Pater ad tumulum Filij.

Hæc tibi, Nate, mei capias monumenta doloris,
Et ſimul has lachrymas, vltima dona patris.
Qui clarum referens ſpecimen virtutis auitæ
Ranzouidum poteras condecorare genus.
Qui charæ matris requies, patriæq́ʒ ſenectæ
Solamen quondam dulce futurus eras.
Sed Theodore iaces, & quæ mihi ſoluere fili
Debueras meritò, nunc tibi iuſta petis.
Et deſiderium patri mihi triſte relinquis,
Quem ſacra debueras ad monumenta ſequi.
Biſſena heu primus genialis pignora lecti
Imminuis, viuant turba relicta precor.
Vna tamen ſpes eſt quòd Chriſti morte reſurges,
Non expectata qui modò morte cadis.
Ergo vale fili, nos lux æterna piorum
Suſcipiat, iungat, perpetuoq́ʒ regat.

Filius ad Patrem.

Deſine chare pater mea funera plangere fletu;
Et lachrymas tandem comprime chare pater.
Nos modò præpropera diſiunctos morte, viciſſim
Iunget in æthereo vita beata polo.

Aliud.

Vt iuſtus Deus eſt, ſic iuſtè cuncta gubernat,

Et fuit hæc iuſto res ita viſa Deo.
Quem mihi filiolum dederat, mihi rurſus ademit:
Cuius velle fuit, nunc quoque nolle fuit.

Aliud Henr. Cunrad.

Qui patris in claras potuiſti creſcere laudes,
Et meritum fratres inter habere decus:
Te Deus è mundi rapuit Theodore tumultu,
Dum tener, & vita ſimplice purus eras.
Ne mala, ne fraudes, faſtum, luxúmque videres;
Sæpè quibus magni deperiere viri.
Non tu triſtitiam, non vllas pectore curas
Senſiſti, cæli dum petis aſtra puer.
Alta ſed æternam tibi ſufficit aula quietem:
Tu neque, ſi poſſes, huc remeare velis.

Diſtichon continens anni obitum.

HIC De Ranzoa TheoDorVs ſtIrpe, LVbeCæ
ContegIt oſſa LapIs, ſpIrItVs aſtra CoLIt.

Mauricius Rãzouius Caij filius, Cõſiliarius Illuſtriſſimi principis Adolphi, &c. præfectus arcis Trittouiæ, periit hydropiſi Lubecæ, ſepultus Itzohoæ, anno LXXII.

Splendida Mauritius Ranzoæ gloria gentis,
Strenuus Holſatæ nobilitatis eques.
Qui generis priſcum celſo decus ore ferebat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Ac animi donis eſt imitatus auos:
Quo non eloquio, quo non præſtantior armis,
Non acie mentis, conſiliiſque fuit.
Fulgentes equitum ducens in prœlia turmas
Adiuuat arcanis ſenſibus arma ducis.
Agmina Ditmarſis latè reſidentia terris
Dum princeps cupido Marte paratus adit,
Rex ſimul & fratrem Ianus comitatus Adolphum,
Arma manu capiunt nobiliúmque cohors.
Tunc quoque Mauricius ſtudiis flagrantibus arſit
Magnanimos inter clarus honore viros.
Maiorum celebres ſic vlciſcatur vt vmbras
Oſsáque funeſto non tumulata ſolo.
Ductor agit turmam, volitant per aquoſa cateruæ
Arua, repentinos incutiúntque metus.
Holſati ſuperant, ſternuntur dura virorum
Corpora, pars gladijs, pars cadit icta globis.
Tunc caput indomitum longis Ditmarſia ſeclis
Submiſit, pedibus procubuitq́ ducum.
Rex, geminíque duces victis tribuere ſalutem,
Iuraq́ ſubiectis æqua dedere viris.
Magna fuit, ſuperare manu tot fortiter hoſtes;
At ſeruare piè, gloria maior erat.
Cæſaris auſpicijs hinc quando vocatus adiret

Tyri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Tyrigetum flauos fortis Adolphus agros:
Qua vetus aggeribus, foßis & cincta profundis
Arx ſtetit, & muris vrbs Gotha firma ſuis.
Huc quoque Mauricius cum principe caſtra petiuit,
Et patrios equites ducere iußus erat.
Qua fuit Holſatûm virtus tunc cognita campis,
Et quæ Myſorum ſplenduit ore phalanx.
Trittouia fidus fuit hic præfectus in arce,
Triuit & hic æui tempora pauca ſui:
Qua vitreus ſyluis Billena virentibus errat,
Holſatum claudens ex Oriente latus.
Traduxit paucos vigilans & ſobrius annos,
Atra nec hunc mors eſt viuere paſſa diu.
Quid cauſam quæris? magnos humileſq; viciſſim
Cùm libet, hæc celeri demetit æqua manu.
At magnis citius venit inuida: tollit Achillem
Mors cita, belligeros nec timet illa viros.
Sicut odorifero florens Hyacinthus in horto,
Sic quoque Mauritius concidit ante diem.
Mœnia viderunt morientem clara Lubecæ,
Oſſa ſed Itzohoa contegit æde lapis.

Paulus Ranzouius, ad cuius monumẽtum hoc epitaphium legitur.

PAVLVS Ranzouius, Ioannis filius, in viridi

ætate, apud Philippum Landtgrauium Heſſiæ educatus, poſtea Alberti primi ducis Pruſſiæ cubicularius factus, deinde cum duce Adolpho, ad Caroli V. aulam ſe contulit, ac deinceps Metenſi obſidioni ſignifer adfuit. Cum eodem duce Adolpho primùm ad bellum Ditmarſicum, deinde ad expugnationẽ Gothanã profectus, deniq; cũ Dux Albanus, Adolphum regis Hiſpaniarũ nomine, ad ſocietatem belli cũ bis mille equitibus euocaret, eius militiæ legatus factus eſt: qua finita expeditione, domum rediens, diuturno morbo correptus, in cõplexu matris, vxoris, ac fratris firma in Deum fide, ac glorioſæ reſurrectionis ſpe, obiit, cùm vixiſſet annos 51. menſes 5. dies 6. ſepultus Itzohoa, in monumento paterno: obiit anno 79. 9. Calend. Aprilis.

Epitaphium eiuſdem, Auctore Hen. Conrad.

Paulus in hoc tumulo, iuxta patris oſſa, quieſcit,
Ranzouius, priſcæ nobilitatis eques.
Qui clarum egregia referens virtute parentem,
Pacis erat præſtans, militiæq; decus.
Inclyta Landtgrauij, mox excipit aula Philippi,
Veſtiit vt nondum prima iuuenta genas.
Principis hic tanti primo miratus ab æuo eſt,
Et didicit pariter fortia facta ſequi.

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Et placuit quondam qua Pruſsia reſpicit Arcton,
Alberto, iuuenis mens generoſa, Duci.
Hunc ſibi militiæ comitem Dux legit Adolphus,
Qui gerit Holſati ſceptra paterna ſoli.
Carolus ad Metis traxit cùm mœnia Cæſar,
Excita germanis agmina fida plagis.
Poſt quoque Ditmarſas patrem comitatus in oras
Aſpera cùm forti prœlia gente mouet:
Martia tunc virtus, animíque induſtria regi
Cognita Fridrico, principibúſque fuit.
Hunc Gotha Trigetum flauis conſpexit in aruis,
Cùm ducis Auguſti ſigna ſecutus erat.
Ruraq́ fulgenteis duxit per Belgica turmas,
Hiſpano ad belli rege vocante vices.
Præfuit hic magnis, tranquillæ tempore pacis,
Arcibus, & peperit Marte togaq́ decus.
Pinguis arenoſum qua ſuſcipit Eidera Threnam,
Arxq́ vetus Sueui nomine clara iacet:
Et qua Chilonium pulchras ad nubila turres,
Balthica proſpectans æquora, tollit humo:
Et qua Trittouium ſyluas iacet inter opacas
Billena & vitreis errat amœnus aquis:
Principis auſpiciis populos hic rexit Adolphi,
Nobile præfecti geſſit & acer onus.

Omnia iuſtitiæ penſabat lancibus æquis,
Conſiliíſque piis optimus autor erat.
Mens Heroa fuit Friderico grata ſecundo,
Et rex Ranzouicam prædicat ore fidem.
Luſtra ſui Paulus bis quinque peregerat æui,
Vt pius extremum clauſit in orbe diem.
Vnica languenti morbo fuit Anchora Chriſtus:
Vecta polo firma eſt mens ſuper aſtra fide.
Magnum ſtemma decus, maius parit inclyta virtus:
Summum ſed pietas, quæ bene iuncta fide eſt.

Aliud eiuſdem.

Qui ſe, genuſq́ ſplendidum, virtutibus
Ornauit: auxit familiam
Prole numeroſa, & optima: peperit bene
Faciendo amicos: Patriam
Meritis ſuis cumulauit: aulam plurimis
Deuinxit officiis ſibi:
Famáque latè impleuit Arctoas plagas:
Induſtria reges ſibi,
Fidéque conciliauit inclytos duces:
Hac Paulus eſt Ranzouius
Compoſtus vrna: ſic beatus qui fuit,
Iunctus beatæ coniugi,
Fide, pudica, nobili, SESTEDIAE:

At nunc polo beatior,
Inter beatos cælites viuit, Deo
Receptus hîc in gratiam,
Ob Filij meritum vnici, cui pectoris
Adhæſit ardenti fide.
Sic nunc beatus PAVLVS *eſt* RANZOVIVS:
Eſt ſumma quæ beatitas.

Henricus Ranzouius ad Paulum Ranzouium fratrem.

Paule meæ vitæ pars altera, & vnice frater
Aſtra petis cæli, meq́ relinquis humo.
Sic Domino viſum, cuius data munere vita eſt;
Cùm placet, hanc donat; cùm placet, ille rapit.
Nec mihi tam magnū, quamuis ſit acerba, dolorem
Mors parit: ereptus ſis licet ante diem:
Quàm lætor mundi te caſibus eſſe futuris
Præreptum, & cælo, lætitiaq́ frui.

Aliud conſtans verſibus Hexametris, mixtis dimetris; in quibus Henricus Ranzouius gratulatur ſibi, quòd fratri exhalanti animam affuerit.

Sic tamen extinctus gelidi ſub mole ſepulchri
Amande frater nunc iaces?
Sed licuit vitæ certum melioris ad aſtra

Votis euntem proſequi:
Et tua cum lachrymis morientia lumina vidi,
Piáque compreßi manu.
Ac mihi poſſe datum miſero, tandem auribus iſtis
Audire & vltimas preces:
Vltima & in Chriſto ſuſpiria, Paule, trahentem,
Cui mens adhæſit in fide.
Sæpius ah noſtram moriens, tua dextra premebat,
Dum verba vix emitteres.
Grata igitur ſunt hæc nobis dulcißime frater,
Vale vltimum, quod dixeris:
Terrenis curis mißus cœleſtia quærens,
Chriſtoq́ te mandaueris.
Ne me morte tua mæſtum, triſtemq́ relinquis,
Mi Paule, ſed lætor, magis:
Dum ſubit illa dies, mihi qua tua pignora mandes,
AEterna adiſti gaudia:
Nulla mea eripient, frater, te funera mente,
Viuéſque noſtro in pectore.
Donec conueniam vita meliore fruentem,
Tecúmque viuam iugiter:
Hic vbi ſancta Dei maieſtas regnat, & alma
Quies, amórque & gaudium.

Aliud

Aliud Ioh. Maioris D.

Quod poſuit fratri monumentum frater adempto,
Id luctus ſignum, & pignus amoris erit.
Quòd fratri ereptus fueras, fortaſſe ferendum eſt:
Quòd patriæ eriperis, Paule diſerte, graue eſt.
Sed quòd mens coluit virtutem, gloria certè eſt:
Quòd Chriſto nixa eſt, eſt tibi facta ſalus.

Aliud eiuſdem.

Ranzouidum de ſtirpe genus qui duxit auita
Paulus, in hac tumba poſt ſua fata cubat.
Hic patris expreſsit virtutem, & facta Ioannis,
Qui ductum ex auro nomen equeſtre tulit.
Nam Syriæ tractus luſtrauit, & Helladis oram,
Quóque ſacros duxit Chriſtus in orbe gradus.
Conſilijque fuit tribus idem regibus auctor,
Cimbrica qui forti ſceptra tulêre manu.
Præfuit ordinibus vario ſub tempore belli,
Mentis & excelſæ publica ſigna dedit.
Paulus & hic ſummos in regno geſsit honores,
Dux huius monitis vſus Adolphus erat.
Curáque ſubmiſſæ fuit ipſi tradita gentis,
Huic vt ius æqua pro ratione daret.
Officij & fidei vir nulli laude ſecundus,
Siue velis belli munere, ſiue toga:

Cùm

Cùm Rex expediit fortes ad bella maniplos,
Cogere Ditmarſos ſub ſua iura parans:
Res ex conſiliis huius bene geſta pependit:
Et dextra è reliquis promptior vnus erat.
Nuper vt in Belgas Rex ſigna mouebat Jberus,
Hic regis partes Marte ſecutus erat.
Octo dati à fatis æui vix luſtra peregit,
Depoſitum vt fatis reddere iuſſus erat.
Marte inuictus erat, ſed eum mors inuida vicit:
Nec vicit, potius ſoluit inerte ſitu.
Cùm ſit vita breuis, dubiaq́ obnoxia ſorti,
Virtute & fama eſt longa petenda dies.
Facta ſed eſt anima iactura hei grandis in vna;
Patria nam columen perdidit, aula decus.
Nos gerimus morem pietati; & marmore, & ære
Afficimus carum poſt ſua fata Patrem.
Ipſe, fide melius viuit, quàm marmore & ære:
Namq́ per hanc verè vita beata datur.

Epitaphium nobiliſſimæ virginis Mettæ, Pauli Ranzouij filiæ, quæ paucis, poſt obitum patris, diebus elapſis, ex hac miſeriarum valle etiam deceſſit, ac vnà cum patre defuncta eſt. H. Cunrad.

Edita Ranzouidum celebri de ſtemmate Virgo,

Cum

Cum patre ſub gelido marmore Metta iacet.
Dum parat exequias coniunx mœſtiſſima Paulo,
Mox etiam celeri filia morte cadit:
Filia Virginei flos & noua gloria cœtus,
Cui roſeus ſedem fixerat ore Pudor.
Cui Pallas mentem; Iuno dedit inclyta mores:
Contulit & formæ munera pulchra Venus.
Spes hæc matris erat: duplicat mors morte dolorem,
Dum turbat gemino funere Parca domum.
Amborum exuuias dulces, natæ atque mariti,
Huic dat cum lachrymis mater & vxor humo.
Certa tamen cælo vitam præſtare perennem,
Optat vtrumque polo, mœſta Beata ſequi.
Vna dies tumulo pariter, natámque patrémque
Intulit, è tumulo reddet & vna dies.

In obitum eiuſdem.

Ver erat: ætatis cùm vere ſequuta parentem,
Sub dura poſuit frigida mole pedem,
Metta puellarum decorans, ceu ſtella, cohortem,
Et comites ibant, forma, pudorq́; ſimul:
Cùm per odoriferos, ſub vere, incederet hortos;
Carperet & violas, purpureáſque roſas.
Ver erit: æterno cùm vere ſecuta parentem,
Siderea felix ponet in arce pedem.

Claraq́ fulgebit cœtu, ceu ſtella, beato,
Virgineos inter, Metta recepta, choros.
Conſpicietq́ Deum, dabiturq́ corona capillis,
Nobilior violis, purpureiſq́ roſis.

Gerhardus Ranzouius, ad cuius buſtum hæc ſequentia marmori inciſa videntur.

GERHARDO RANZOVIO, Pauli filio, Ioannis nepoti, qui cũ in hoc oppido Odẽſee, à Rege Daniæ, Frederico II. Ducatus Sleſuicenſis principibus Holſatiæ Ioanni & Adolpho in feudum concederetur, ſingulari certamine cõmiſſo, cum alio nobili Holſato, quem rurſus grauiter vulnerauit, enſe traiectus, ac hic præſente rege, ac ducibus, nec non proceribus Daniæ ac Holſatiæ ſepulturæ honorificè mandatus ab Henrico Rãzouio patruo: Beata mater, quæ maritum, filiam, & iam hunc filium natu maiorem ferè ſpacio vnius anni amiſit, mœrens non ſine luctu, dolore, ac lachrymis poſuit. Diſceſſit anno Domini 1580. die 19. Maij, anno ætatis 26.

Epitaphium.

Hoc ſita Ranzouij tumulo ſunt oſſa Gerhardi,
Eſt genitus Paulo qui patre; clarus auis.
Ingenuas puerum mens alta ferebat in artes,
Vis animi generis ſignaq́ prima dedit.

Leu-

Leucoris hunc ſtudijs ſophiæ formauit ad Albim;
Et Latio, & Graio nouerat ore loqui.
Inq́ ſui cupidum Pallas quoque traxit amorem:
Pectoribus virtus ſubdidit alta faces.
Hanc colit & factis eniti gaudet honeſtis,
Nec generis laudem cenſuit eſſe ſuam:
At labor eſt cordi: peregrinas iuit ad oras:
Vidit & Heſperiis inclyta regna plagis.
Iam clarum Tyberim, & veteris veſtigia Romæ
Conſpicit, Italiæ quicquid & ora tenet.
Regna peragrauit bellis ardentia Galli,
Regna cadaueribus penè repleta ſuis.
Hic morti ereptus, Germanis ſaluus in oris
Siſtitur: Heluetij luſtrat & arua ſoli.
Arce redux patria, pulchra virtute refulget
Flos generis, patriæ ſpes noua, dulce decus.
Exciuit iuuenem Rex Fridericus in aulam:
Interea hunc terris fata ſeuera vocant.
Heu quā magna cadunt, non magna impulſa ruina:
Morsq́ inopinatas pulſat auara fores.
Sæpè dedit morti cauſam lis parua cruentæ:
Rixaq́ turbata concita mente fuit.
Orta leuis pugna eſt, iuuenis cadit enſis ab ictu,
Viuere Neſtoreos dignus in orbe dies.

 O cer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

O certamen atrox, ferrum ô crudele, quod auſum
Scrutari immeritas pectoris eſt latebras,
Pectoris, in terra diuinis dotibus aucti,
Quod ſparſam indigno ſanguine tinxit humum.
Inter at hoſtiles occumbere maluit enſes,
Tam nota ſocij quàm cecidiſſe manu.
Qui varios caſus, & aperta pericula vitæ
Euaſit toties, hoc perit ille loco.
Diſcite non temerè iuuenes confligere dextra,
Mortem pro ludo Mars quia dirus habet.
Non inhonorus humo tegeris, ſed laudis adeptæ,
Poſt tua te ſequitur fata, Gerharde, decus.
Luxere ad mutum, te Réxque ducéſque ſepulchrum,
Daniaq́;, & madidis Cimbria mæſta genis.
Quamuis corpus humo mors ſtrauit: humuſq́; cruorē
Hauſit: & exuuias hic caua tumba tenet:
Mens tamen aſtra colit: virtus & diuitis artes
Ingenij, famæ munere in orbe volant.
Huc vos nobilium ſanguis, date candida buſto
Lilia: vere obiit: vere reſurget humo.

Aliud.

Hoc ſitus eſt tumulo Gerhardus nomine Ranzau,
Magnanimo Paulo qui patre natus erat.
Cimbria quem genuit, rapuit Fionia, quinque

Dum numerat vitæ luſtra peracta ſuæ.
Italiæ fuit hic iuuenis verſatus in oris,
Nec minus huic etiam Gallia nota fuit.
Æquaturus erat ſimili virtute parentem,
Ni fera rupiſſet ſtamina Parca manu.
Huius ob interitum planxit rex Danicus, atque
Non minus Holſati condoluere duces.
Quod ſic ante diem miſerando flebilis ictu
Dum nimis audacter dimicat enſe, cadit.

Henrici Ranzouij elegia in obitum Gerhardi Ranzouij.

Eſt iterum nobis, dulciſsime Paule, dolendum,
Quòd tam ſit natis ſors inimica tuis.
Ad tumulum lachrymas frater tibi fudimus olim,
Dum te cum gnata mors tulit atra tua.
Vix hoc præterijt, premitur vix pectore luctus,
Accidit heu peius deteriuſq; malum:
Scilicet egregius iuuenis florentibus annis
Occidit infelix filius enſe tuus.
Filius ille tibi dilectior omnibus vnus,
Qui reliquis natu iam tibi maior erat.
Ergo etiam licuit tibi mors truculenta Gerhardum
Tollere qui longùm viuere dignus erat?
Hei nihil eſt firmum terris, rapit omnia lethum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Quicquid & eſt vnquam, ſub ſua iura vocat.
Non flos hic iuuenum, non integra viribus ætas,
Fatorum dura libera lege manet:
Sic etiam extincti funus ſpectare Gerhardi
Cogimur, & gelido tradere membra ſolo.
Qui poterat patriæ claris virtutibus oræ,
Ac animi donis vtilis eſſe ſuis:
Dignus erat ſeros certè ſupereſſe per annos,
Viuere vel Pylios, Neſtoreosq́; dies.
A teneris fuerat pulchras adſuetus ad artes:
Virtutem coluit, Pieridúmque chorum.
Italiam vidit, vidit quoque Gallica regna,
Nota Palatini non minus aula fuit.
Doctrinæ ſtudijs variæ florebat & æuo,
At nunc in cineres verſe Gerharde iaces.
Corpore pro pulchro, dulci pro flumine linguæ
Triſtes heu mutum conſpicimus tumulum.
Grata tuæ capimus tamen hæc ſolatia famæ,
Quòd virtus multis eſt tua nota plagis.
In iuuene ipſe etiam, quem rex Fridericus amabat;
Ornat & exequias poſt tua fata tuas:
Holſatíque duces aderant: Holſatáque buſto
Nobilitas proceres Daniacíque ſoli.
At ſurges iterum, vt violæ ſub tempore veris

Aſpera quas rigido frigore læſit hyems.
Et te dura licet ſubitò mors falce peremit,
Iam manet æternùm vita beata polo.
Hic erit alma quies, hic pax, & perpetuum ver,
Hic læti cantus angelicíque Chori.
Hic te complectar, téque hic cum fratre videbo,
Fons vbi inexhauſto dulcis amore fluit.
Molliter oſſa cubent tumulo, dum terrea moles
Huc redeunte animo, ſit rediuiua, ſuo.

Caius Ranzouius.

Caius Ranzouius mortuo patre Paulo, à patruo Henrico Ranzouio, Electori Saxoniæ Auguſto in familiam traditus, febri correptus ac extinctus eſt, & Electoris iuſſu Dreſdæ ſepultus, anno Domini 1580. 9 Septembris, annum agens ætatis 14.

Epitaphium H. Cunr.

Tu Pauli quoque patris eras chariſſima proles
Ranzouij antiquo ſtemmate nate puer:
Quem genitor magno dilexit amore; nequiuit
Natus ferre diu funera mœſta patris.
Saxonica Auguſti viuit dum principis aula,
Charus erat domino moribus atque fide.
Illic viua datum eſt virtutum exempla tueri,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Et quæ vix poterat facta probanda ſequi.
Vt cadit aprico moriens Hyacinthus in agro,
Ante diem Caius ſic quoque morte cadit.
Quem ſibi iam virtus ſuſceperat ipſa fouendum,
Qui fulſit generis flóſque decúſque ſui.
Principis hic magni tulit atro in funere luctum,
Qui iuſsit tumulo molliter oſſa tegi:
Inclyta qua celſis decoratam turribus arcem
Albidos à flauis Dreſda ſalutat aquis.
Hunc dolet ereptum properanti funere Pallas,
Cuius in hoc puero ſpes erat ampla Deæ.
Barbara non illi ſub corde ferocia creuit;
Artibus ingenium mite, piúmque fuit.
Colluuie procul, hic procul & contage malorum,
Innocuus terris dum fuit, ille fuit.
Spiritus ætherea gaudet nunc liber in aula,
Tam citò quòd plenam labe reliquit humum.

Querela Henrici Ranzouij, de obitu Caij Ranzouij.

Quid querar, aut plangā? nūquā mihi cauſa querelæ
Dum miſer hic triſti verſor in orbe deeſt:
Vix meus eſt frater cum gnata conditus vrna,
Cùm natu maior filius enſe perit.
Ecce iterum gnatum mors ſuſtulit atra ſecundum

Fra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Fraternæ ſoboli mors inimica nimis.
Enſifer hunc princeps celebri ſuſceperat aula,
Diſceret vt iuuenis fortia facta ſequi.
Dijs aliter viſum: viridi ſub flore iuuentæ
Interit, ac Dreſdæ contumulatur humo.

Querela Henrici Ranzouij de morte ſuorum, addita conſolatione in fine.

Triſtis eram, memini, ſummo victuſq; dolore
Cogebar lachrymas combibere ipſe meas:
Cùm pater expirans animã tibi Chriſte redemptor
Mundatam à vitijs traderet vſque fide.
Triſtis eram, memini, cùm fratri triſtia Paulo
Longa quieſcendi tempora fata darent.
Non orbata ipſi componere lumina ſenſu,
Tum poteram ſiccis, victus amore, genis.
Triſtis eram, memini, cùm mors ingrata ſororem
Cogeret extrema dicere voce vale.
Hos præter Theodorus erat mihi filius, & hei
Immaturè illum ſuſtulit atra dies.
Tum quoq; triſtis eram, quòd me improuiſa volebãt
Depoſitum munus reddere fata Deo.
Sic mihi ſemper erat generis iactura dolori,
Inflixitq; animo vulnera ſæua meo.
Nec tamen inficior, quod & immatura meorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Lætitiæ cauſſam fata dedere mihi.
Scilicet eſt aliquid, quòd vidi claudere vitam
In vera hos omnes agnitione Dei.
Atque pias audire preces mihi contigit horum,
Se quibus æterno ritè dedere DEO.
Ipſe meis etiam votis, ſic triſtior aſtans,
AEternum potui ſollicitare DEVM.
Vt præſens mortis poſitos in agone iuuaret,
Et daret infracta vincere poſſe fide.

Epigramma de Fugacitate vitæ humanę, Henningi Cunradini.

Flos cadit, auroræ modò qui fulgebat ad ortum,
Præterit exiliens fornice riuus aquæ.
Imbre tumet grauido, ſed mox vaga bulla reſidit,
Frangitur & leuiter ſplendida maſſa vitri.
Dulcis abit ſubitò languenti pectore ſomnus,
Excita cum ſtudio eſt mens generoſa ſuo:
Vmbra velut ſpeculo leuis euaneſcit imago,
Auolat in ventos miſſus ab ore ſonus:
His citius cadit omnis homo, licet omnia fluxa,
Flos, aqua, bulla, vitrum, ſomnus, imago, ſonus.

D. Henricus Huſanus.

Mors homini certa eſt, nihil eſt incertius hora,
Qua nos ſub leges auocat illa ſuas.

Sic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Sic igitur non eſt ius euitabile mortis,
Sic vacat à lethi conditione nihil.

H. C.

Eſt homo flos agri, volucriq́ʒ ſimillimus vmbræ
Aufugit, &, ſi quem credimus eſſe, fuit.

Stigelius.

Quid valet hic mūdus? quid gloria? quídue triūphus?
Poſt miſerum funus, puluis, & vmbra ſumus.

Idem.

Mors tua, mors Chriſti, fraus terræ, gloria cæli,
Et dolor inferni ſunt meditanda tibi.
Viue diu, ſed viue DEO: *nam viuere mundo*
Mortis opus; viua eſt viuere vita DEO.

Incerti auctoris.

Quiſquis es id noſcas, terra es, te terra recondet,
Te terra genitum terrea membra docent.
Non te terreno terrena remordeat æſtu
Cura, tuas tandem terra reſumit opes.

ALIQVOT POEMATA RES MEMORABILES CONTINENTIA.

Aula depicta ex Luciani περὶ τῶν μισθοσυνόντων, *adumbratione proſopopœis & verſibus ab Henrico Ranzauio.*

PALATIVM in faſtigio montis abrupto ſitum eſt,

veſtibulo in aurato lubrico & præcipiti aditu. In interiore parte domus OPVLENTIA ſedet, tota, vti apparet, aurea, deſiderabilis & ſui amore inflammans intuẽtes. Porrò amatorem aulæ ſtupeſcentem & aurũ oculis deuorantem SPES verſicolor introducit; recẽtem aulicum excipiunt duæ mulieres FRAVS ET SERVITVS: hæc labori per manus tradit: illa confectũ & morbidum ſenectæ committit. Poſt contumelia agit ad deſperationẽ. Ex hinc ſpes auolãs euaneſcit. Tum verò miſer extruditur non per aureas quas ingreſſus erat fores, ſed per poſticum quoddã tenebroſum & occultum pallens, tremulus, ventriculoſus, annis panniſque obſitus. Denique eiecto occurrit POENITVDO. Poſtremò tot modis confectum & iam trepidum, incuruum, in ipſo contumelię dolore ſagitta interemptum, mors optatiſſima ſola fœderis tenax præcipitat in egeſtam ſcrobem.

EMBLEMA DE AVLA.

Mœnia, quæ ſummo ſpectant de vertice montis
Sydera, dic quod nam nomen & omen habent?
Aulam Roma vocat, ſedes Regumq́ ducumq́ eſt,
Luxu, diuitijs, ambitione potens.
Lubrica mortalis vita & ſinuoſa palæſtra,
Excipiens prauos non minus atque bonos.
Cur iuuenis, lauri reſidens viridantis in vmbra
Triſtia defixus lumina ſpectat humum?

Ille

Ille operum patiens mæſto ſub corde volutat
　Quam malit vitam, quod ſtudiúmque ſequi:
Ne trahat ignauam laſciua per otia vitam,
　Molliáque ætatis tempora ducat iners.
SPES Dea cur niuea iuueni ſtat proxima palla
　Commonſtrans digitis regia tecta ſuis?
Allicit incautas iuuenum Reſpublica mentes,
　Et ſplendor nimias qui comitatur opes.
Sed cur aſtat Honor, Tyrio velatus amictu,
　Cui leuis ambroſio ſpirat odore coma?
Nominis & famæ cuncti fulgore trahuntur,
　Ambitio multis exitiale malum eſt.
Cur FORTVNA aſtat læto blandiſſima vultu?
　Adiuuat audaces ſorſq́ꝫ Deuſq́ꝫ viros.
Ergo quiſquis amas vitam traducere in aula,
　Continget votis Aula petita tuis.
Fata hominum cedunt interdum proſpera cœptis,
　Irrita nec ſemper fert pia vota Notus.
Quid de nocte ſtruũt BACCHVSq́. CERESq́. VENVSq́?
　Otia lethifero candida melle fouent.
Hæc capiunt fluxa iuuenum dulcedine mentes,
　Vt ſe regna Deos inter habere putent.
Interea luxu tranſactæ corpora noctes
　Attenuant, animis & vigor omnis abit.

Cur abiecta iacet PALLAS? *cur aliger ille*
Hanc leuat & pictas non ſinit ante fores?
Nil animum formaſſe iuuat, pietate boniſq́;
Artibus, & mores addidiciſſe graues:
Si non eloquio polles, verſatile ſi non
Affers ingenium multipliceſq́; dolos.
At iuuenem excipiens aurata compede vinctus
Dic cur regales ſtat LABOR *ante fores?*
Sit licet immenſo circumdatus aulicus auro,
Suſtinet immenſi grande laboris onus.
Succeſſúſque dolens hominum, cur iuncta labori
Squallida vipereo felle ſtat INVIDIA?
Nemo fuit, nec erit tam præſtans fortibus auſis,
Vt valeat morſus effugere Inuidiæ.
Vt comes eſt radios per Solis euntibus vmbra:
Virtutem liuor ſic comitatur iners.
Aulai in medio cur torua CALVMNIA *picta eſt;*
Et quam præterea cætera turba vides?
Quò non ſacrilegæ penetrant mendacia linguæ,
Iactáque ſub blandis ſcommata ſalſa iocis?
Nam quicumque ſua virtute emergere neſcit,
Obtrectare aliјs, creſcat vt ipſe, ſolet.
Dic cur PERFIDIA *aſsiſtit? quia tempore noſtro*
Sub blando eſt fidei nomine rara fides.

Peſsi-

Peſsimus is certè eſt inimicus, quiſquis amicus
Creditus, occulta ſubdolus arte nocet.
Quid fallax media vult ASSENTATIO *in Aula,*
Mollia caudatæ tegmina vulpis habens?
Quiſquis adulari, palpumq́; obtrudere neſcit
Blandius, hunc aulam non adijſſe velim.
Nam paraſitus edax Regum dominatur in aula,
Principibúſque placet dulcior ore Colax.
Semper adulator veſcens popularibus auris
Blandiloquus, domino quæ placuere probat.
Cur iuuenem rurſus NEMESIS *deturbat ab aula,*
En quàm non magnis eiiciens foribus?
Admonet hæc Nemeſis, ni quis nimis alta requirat:
Eſt aliquid paruam poſſe habitare caſam.
Multos aula viros ad ſummum euexit honorem,
Auláque permultis attulit exitium.
Ferre moram, moderari iram, contemnere riſum,
Dura pati, cunctos aulica vita docet.
Cur morbus pallens regali limine pulſum
Excipit & tremulo tarda ſenecta pede?
Debebant multi poſito bene fine malorum
Viuere non vllo ſollicitante metu.
Quos vbi iam ſubeunt morbi, triſtiſq́; ſenectus,
Deijcit extremo tramite cauſa leuis:

Deſpe-

Deſpectíque iacent, & dulcia limina ſæpe
Eiecti mutant, exilióque domos.
Nil fulſiſſe iuuat meritis inſignibus olim;
Nil rerum molem ſuſtinuiſſe grauem.
At cur aßiſtit tumulum propè noxia torquens
Spicula, funeſta MORS *violenta manu?*
Fallit ſpes & honor, fallit fortuna laborq́;
At Lacheſis certam ſeruat vbique fidem.
Rebus ab immodicis animum ſubducito ſemper:
Ante oculos vitæ ſit tibi meta tuæ.

De aula Henrici Huſani, vbi dictum Saluſtij,

Quòd regiæ voluntates, vt vehementes, ſic mobiles ſæpe ſibi ipſis aduerſæ, explicatur.

Seruiui patriæ diuerſas mißus in oras
Gratia dum cari ſalua manebat heri;
Obrutus aßidua multorum mole laborum,
Vt variè curas erogat aula ſuas.
Triſte ſed heu precium nactus ſub fine laborum,
Expertuſq́; tuam mobilis aula fidem.
Qui mea fortè leges veſtigia deditus aulæ;
Huc ades, exemplo diſce docende meo:
Fidere nec magnis ducibus nec regibus auſis;
Ah miſer illorum quicquis adorat opes!

Quip-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Quippe voluntatis, fortunæ denique vitæ
Vnica quos certos non videt hora ſuæ.
Sunt homines, magniq́ue duces Regesq́ue ſuperbi,
Fallit in humanis ſpes ſita præſidiis.
Mobilis Euripo magis eſt humana voluntas;
Semita fortunæ lubrica, vita fugax.
At ſi perpetuò conſtat diuina voluntas,
AEterno ſtabilis vita vigore manet.
Finibus arctata eſt immenſa potentia nullis:
Ergo ſit in ſolo ſpes tua fixa Deo.

In tabulam caſus Phaëthontis
Henricus Ranzouius.

Aſpicis vt Phaëthon rapido Iouis occidat igne:
Nil mirum, punit corda ſuperba DEVS.
Hic veros habuit Clymenen Meropémque parentes;
Iactauit Phœbo ſe tamen eſſe ſatum.
Quinetiam conſcendit equos, ſolíſque quadrigas
Atque ſuis impar viribus vrſit opus.
Sed mortalis vbi temerè cæleſtia captat,
Neutrum habet: at faſtus præmia fulmen habet.
Te modulo metire tuo, qui talia ſpectas,
Ne grauet infirmum ſarcina magna caput.
Qui fueris hic eſſe velis, ſublimia vites:
Vltrà qui ſortem non ſapit, ille ſapit.

Thomæ Mori Epigramma, de regno.

Totum eſt, vnus homo, Regnū idq́ cohæret Amore,
Rex caput eſt, populus cætera membra facit.
Rex quot habet ciues (dolet ergò perdere quenquam)
Tot numerat partes corporis ipſe ſui.
Exponit populus ſeſe pro Rege, putátque
Quilibet hunc proprij corporis eſſe caput.

Idem Morus de Aula, quibus verſibus quaſi exitium ſibi præſagiit.

Sic inter domitos ſine noxa ſæpè leones
Luditur, ah noxæ non ſine ſæpe metu.
Infremit incerta crebra indignatio cauſſa,
Et ſubitò mors eſt, qui modò ludus erat.

De Aula H. Cunradini.

Aula quid eſt? ſplendor mundi: faſtigia vitæ:
Res videt Aula graues Marte, togaq́ geri.
Aula quid eſt? labes mundi: faſtidia vitæ:
Sæpe malas etiam res videt Aula geri.
Curarum pelagus, vaga ſpes: via plena pericli:
Splendida damna: quies irrequieta: dolor.
Sæpius vtilius nihil eſt & clarius Aula:
Vtilis, & clara eſt Aula: ſed ignis edax.
Si quis abeſt nimium; non percipit inde calorem,
Si quis adeſt propius, læditur igne ſtatim.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Nec propè, nec procul hinc ſit, qui vult carpere fructũ,
Tutior omnino eſt, ſi quis abeſſe poteſt.

Cautio Aulica doctoris Huſani.

Qui controuerſa de relligione, viríſque
Principibus loqueris, pauca loquare benè.
Ne vox per iugulum redeat tibi, linguáque magnũ
Attrahat incauta futilitate malum.
Ergo quod eſſe vides in eis laudabile, lauda:
Cætera, quid tacitè diſsimulare vetat?

Regula Aulica.

Mancipij quicunque tui potes eſſe, caueto,
Ne te mancipio ſubiuget aula ſuo.
Si tamen aula tibi placet & cultura potentum
Hæc præcepta memor mente reconde tua:
Prima timere Deum ſit lex, agere altera rectè,
Tertia mercedem dum datur accipere.
Quarta fauori adeò nunquam confidere herili
Huic ſimul vt credas corpus, opesq́ tuas.

Aulicus Senex.

Contriui miſerè miſer tot annos
Guſtando mala, gratias agendo,
Sperando, ingenueq́ ſeruiendo,
Tantorum mihi præmium laborum

Sunt ſerò ſapere atque pœnitere.

Ad Aulicum dulci fortuna ebrium.

Dum te Regis equi geſtant, curruſq; citati,
Per populóſque ſono quadrupedante ruis,
Quid ſis, quid fueris, quid poßis eſſe, moneris
Qualibet à currus circumeunte rota.
Aſpice quos apſis ſurſum vehit incita canthos;
Hi verſo iam mox orbe teruntur humi.
Talis vita hominum eſt, talis Fortuna per aulas:
Si ſapis, inſtabili fidere parce rotæ.

Stigelius.

Tu quod iura petunt facias pietatis amore;
Nec metuas quenquam ſi quis obeſſe velit.

Elegion Henrici Huſani de Epicharmi dicto.

Fide, ſed antè vide, cui tutò fidere poßis;
Et nimia noli ſimplicitate capi.
Hos Epicharmus ait neruos ſapientis & artus;
Hoc vocat ingenij perſapientis opus.
Dum bene fidit ei, quem non bene norat, abactum
Credulus è ſtabulo perdidit hoſpes equum.
Pectoris humani ſi perſcrutere latebras,
Prorſus inexhauſtum dixeris eſſe Chaos.
O quoties fallit blandis oratio verbis,

Dirá-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Diráque ſub dulci toxica melle latent!
O quàm frons iuuenum mentitur ſæpe colorem!
Illyricam ſuperant pectora nigra picem.
Scorpius amplexu ſic obuia brachia tendit,
Nec minus in caudæ cuſpide virus habet.
Si ſapis, hic artus, hic illos exere neruos,
Prudentis proprios quos Epicharmus ait.
Blanditijs memor eſto, memor diffidere fuco;
Damnaríque tua credulitate caue.
Hoc nuper didici magni mercede laboris:
Tu potes exemplo cautior eſſe meo.

Iudicium Henrici Ranzouij de ira principum.

Violenta res ira principũ; cui ſi incõmodè reſiſtas, grauiores excitant tumultus. Equi quemadmodum feroces nõ vi, ſed poppiſmate leniuntur. Et nautę nõ pugnant aduerſus impotẽtem tempeſtatem: ſed vel quiete vel obliquis curſibus vtentes expectant cælũ commodius. Multis rebus medetur tempus, quas nulla vi emendare poſſis: Res humanæ ſemper quidem fluctuant, ſed quoties incidit inſignis, aut fatalis rerum mutatio, multi periclitantur, qui non cedunt turbini.

Idem Verſibus Heroicis.

Res grauis eſt Regum commota furoribus ira,

Cui ſi importunè conere reſiſtere turbas
Dant modò maiores, ac miſcent cuncta tumultu:
Haud ſecus ac ſonipes nondum aſſuefactus habenis
Non vi, ſed blando regitur popiſmate vocis,
Nec nautæ ſoliti cum ventis cernere bello,
Sed dirum obliquis declinant curſibus agmen
Inſani Boreæ, aut planè in ſtatione quieſcunt:
Multa adeò longo curantur temporis æuo
Viribus in melius quæ poßis vertere nullis:
Sors incerta quidem ſemper mortalia verſat:
Sed quoties rerum inſignis mutatio fatis
Ingruit, in ſæuum facilè diſcrimen aguntur
Cedere qui duræ ignorant ratione procellæ.

Aliter verſibus Elegiacis

Ira grauis Regum eſt, cui vi ſi fortè repugnes,
    Inſano turbant cuncta furore magis.
Vt ſonipes non vi, ſed victus ab arte domatur,
    Nauta nec in ventos irrita bella mouet.
Sed fugit obliquis Borealia murmura velis,
    In tuta tacitus vel ſtatione manet.
Multis ſæpe dies atque ætas longa medetur
    Quæ nulla in melius vi retuliſſe queas.
Caſibus incertis mortalia cuncta rotantur,
    Præſentíque horæ vix adhibenda fides.

Sed

Sed tamen ille ſapit, qui in tempore cedere nouit,
Cùm fatale Iouis fulmen ab arce cadit.
Perfer & obdura, nolíque reſiſtere fatis;
Tempus erit tibi cùm proderit iſte dolor.
Diſcito fortunam placidè ſuperare ferendo,
Atque animum ſortis ſpe melioris ale.
Suggeret ingenuas animo tolerantia vires:
Vincere fœlices ſpes ratione docet.

VOTVM HENRICI RANZOVII AD IMITATIONEM XENOPHONTIS.

O immenſe Deus, dà mihi meiſque integram ſanitatem, in agendo induſtriam, in efficiendo celeritatem, in dicẽdo authoritatem, laborem in negotiis, fortitudinem in periculis, in conſultando piam prudentiam, contra hoſtes mitem victoriam & in maioribus gratiæ conſtantiã, facultates honeſtas, ſenectutem iuſtam, in religioſis maiorum monumentis requiem, & in extremo aduentus tui iudicio glorioſam reſurrectionem, ac beatam immortalitatem.

Aliud votum octaſticho expreſſum.

Si mihi pro votis libeat traducere vitam,
Sectariq́; animus quod mihi ſuadet iter:
Malim ego priuatam ſecurus degere vitam
Quàm vitæ illuſtris mille pericla ſequi.
At quoniam noſtri partem ſibi vendicat ortus

Publica

Publica res, partem poſcit amicitia.
Me curis expono lubens, ſubeoq́ labores.
Da Chriſte vt faciam grata tibi & patriæ.

Elegion in quo de ſeipſo loquitur H. R.

Quæ ſunt humanæ gratiſsimæ munera vitæ
Conceſsit Domini dextera larga mihi.
Eſt mihi namque domus charo genitore relicta
A domino antiquo ſat bene culta ſuo.
Hanc ego Fredrico duo regna tenente ſecundo,
Vt par eſt, auxi ſumptibus ipſe meis.
Eſt & pinguis ager iumentis pabula fundens,
Cultoriq́ ſuo præmia digna ferens.
Nec deſunt libri, non hortulus arbore cultus,
Quæ præſtant animo gaudia multa meo.
Ex libris veterum hiſtorias & facta priorum,
Ex horto viridi dulcia poma lego.
Nec me deſtituit bonus & iucundus amicus,
Iucundis tractans ſeria miſta iocis.
Nec me deſtituit grato focus igne perennis;
Ad quem me recreans facta vetuſta loquor.
Præmia nec deſunt, ſanctæ virtutis honores
Ornantes illos diuitiæq́ mihi.
Magna Dei ſunt hæc, non cunctis obuia dona,

Sed

Sed mihi larga Dei dextera plura dedit.
Eſt genus excellens, claros quod fortiter actis
Antiquæ numerat nobilitatis auos.
Eſt mihi cognitio variarum plurima rerum,
Et virtus animo, quam decet eſſe viro.
Gratia magnorum, quæ ſæpe eſt lubrica, Regum
Arridet, cunctis non fauet illa viris.
Quæ quoque nunc nobis apparet fronte ſerena,
Inuidiamq́; necat ſæpe probata fides.
Eſt mihi adhuc conſors lecti, matérque ſuperſtes,
Pellendis curis vtraque docta meis.
Quàm iuuat ambarum gratas audire loquelas,
Tædia ſæpe quibus fallere noſtra ſolent!
Eſt mihi nunc ſoboles mea per veſtigia tendens;
Virtutis properum tollit ad alta gradum.
Sunt quoque filioli, nec deſunt vſque nepotes,
Qui ſunt corda quidem, deliciæq́; ſenum.
Hos ego virtutis fidos & honoris auiti
Cuſtodes ſpero polliceorq́; mihi.
Nec mihi iam poterit quicquam iucundius eſſe,
Quàm quòd auita refert paruulus ora nepos.
Et modò chara meo circumdat brachia collo,
Et modò dat labris oſcula grata meis.
Et mihi ſunt ſano perfectæ in corpore vires

Membráque ſunt nullis attenuata malis.
Præterea placidam tribuit nox atra quietem,
Vanáque ſunt curæ non ſimulachra mihi.
Conſcia mens recti, nulloq́ue afflicta dolore eſt,
Ergo nec in timida ſpe natat, inq́ue metu.
Quin & relligio pietáſque in pectore firmo
Dant laudem magnam conciliantq́ue mihi.
Et quod, cui potero, proſim ſimq́ue omnibus æquus,
Promiſſam verbis adijciamq́ue fidem.
Hæc mihi dona ſeni tribuit pius arbiter orbis:
Littora non ſunt his æquiparanda Tagi.
Diues & his cedit celebrati regia Crœſi
Regia cultori viſa beata ſuo.
Sic meritò vt poſſim felices inter haberi
Stemmate, fortuna, coniuge, prole bonis.
Sed cùm hominum vita eſt fragilis, veréque beatus
Ante obitum nemo dicitur eſſe ſuum:
Oro Deum, vt par eſt, eſt quod largitus, id omne
Eſſe velit proprium, perpetuumq́ue mihi.
Vtq́ue mihi quando bona ſunt linquenda caduca;
Per veram donet cœlica regna fidem.
O pater omnipotens, penes eſt quem ſumma poteſtas,
Arbitrio trado, méque meóſque tuo.
Si mereor, te ſumme Deus rogo pectore toto,

Rebus

Rebus vt auertas triſtia fata meis.
At tulerint ſed quando graues aduerſa dolores,
Des animum firma qui ferat iſta fide.
Fac mea poſteritas longos perduret in annos,
Augeat & gentem Ranzouiámque domum.

De pœnis diuinis D. Hen. Huſanus.

Iuſta Dei merita quem deſtinat vltio pœna,
Deſerit exutum ſenſibus ante ſuis.
Auctor vt ipſe ſuæ deſideret eſſe ruinæ,
Increpet inuiſas exitijque moras.
Vnde fit, vt talem mala tradat in obuia pronum,
Omnibus in pœnis maxima pœna furor.

Lucanus.

Hoc placet ô ſuperi, cùm vobis vertere cuncta
Propoſitum, noſtris erroribus addere crimen:
Cladibus irruimus, nociturámque poſcimus arma.

De Humanis conſiliis. H. R.

Quò non humanæ penetrat ſolertia mentis?
Quid non conſiliis ſubijcit illa ſuis?
Nec latebris adeò res vlla reconditur altis,
Quas acies animi non penetrare queat.
Hæc res euoluit dubias, penituſq; latentes
Eruit & lucem cogit habere ſuam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Quæ ſint euentura videt, præſentia tractat:
Tempore quæ lapſo præteriere tenet.
Omnia rimatur, perpendit, verſat, & optat;
Linquit inexcuſſum ſedula cura nihil.
Fallitur illa tamen plerumq; vacillat & errat,
Nam ſtant arbitrio cuncta, caduntq; Dei.

De dicto Neronis. H. R.

Proditur hiſtoriis crebro dixiſſe Neronem
Quòd Priamus felix eſſet habendus homo.
Non aliam ob cauſam quā quòd cùm Troia periret,
Is quoque vidiſſet Marte perire ſuos.
Aſt ego diuerſo (ſi fas componere paruis
Grandia) felicem me reor eſſe modo:
Nempe quòd ipſe meos, patria florente, nepotes
Conſpiciam ſaluos, incoluméſque ſenex.

Idem breuius.

Quòd periiſſe ſuos, Troia pereunte, videret
Felicem Priamum cenſuit eſſe Nero.
Aſt ego, quòd ſaluos video florere nepotes,
Propterea felix iure putandus ero.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Henricus Ranzouius

Joannis equitis aurati filius, ſalinum inauratum Chriſtiano filio Regis Daniæ Friderici ſecundi cùm ille vnà cũ aliis regni proceribus fideiuſſor in Baptiſmo adhiberetur cum hac inſcriptione, dedit. Qui natus eſt anno Domini 1577. die 12. mẽſis Aprilis hor. 4. min. 30. poſt meridiem.

Deus trinus & vnus largiatur huic Regio nato abaui ſui Chriſtiani felicitatẽ & fortunam: Proaui Friderici primi mãſuetudinem & beneuolentiam: Aui Chriſtiani & pietatem & clementiam; Friderici ſecundi patris ſui magnanimitatem & prudentiam: ac horum regum omnium ſuorum maiorum contra hoſtes ſuos glorioſas victorias. Hæ enim virtutes ex tot Regibus & paterno Regio ſanguine in illum defluxere, taleſque decent tot Regum prolem.

Idem ſenariis conuerſum.

Qui trinus atque vnus Deus regit omnia
Te clare regum ſanguis & flos principum,
Qui fonte Chriſti in ſanguinem laueris puer;
Faciat Deus virtutibus clareſcere:
Abaui det hic fortunam amicam & gloriam
Qui Chriſtianus nomine hoc primus fuit:
Auiq; pietatem det & clementiam,
Qui Chriſtianus hoc ſecundus nomine:

Patríſque magnum animum & parem prudentiam
Qui Fridericus hoc ſecundus nomine eſt.
Donétque maiorum ſimul victorias,
Qui bellicoſa hoſtes ſubegerunt manu:
Fortes creantur fortibus: boni bonis:
Virtuſq́ regia filios Regum decet.
Tu Chriſtiane nomen hoc abaui, ac aui,
Seruans, eris felix, bonus, fortis, pius.
Florere te cernat potens Septentrio.

De coniugio Oſius ex Phocylide.

Coniugij decus eſt ſancti haud præſtantius vllum
Quàm ſi caſta viro coniunx eſt, mite leuamen
Curarum, alternas & alit concordia flammas:
Alter & alterius ſolamen & vnica ſpes eſt,
Donec vtrumque ſenem non cura aut lite, ſed annis
Effectum placido componant fata ſepulchro.

D. Maioris.

Vt ſine ſole dies triſtis, ſine ſydere nox eſt,
Sic ſine prole domus, ſic eſt ſine compare lectus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

In regiam arcem Cronenburgam.

Fama eſt Iuſtinum ſtruxiſſe in rupibus arcem,
Rara qui fuerat Cæſar virtute, Secundus
Illud habens nomen: Sophiæ quæ coniugis arx eſt
Dicta nouo titulo Byzantî in littoris ora:
Ex hac Europam, atque Aſiam, telluris & æquor
Rauciſonum mediæ, ſpectabat lumine Cæſar,
Inuectas pelago puppes, terraſq; repoſtas.
Condidit hanc arcem regni FRIDERICVS *in ora,*
Virtute hic nulli Rex, & pietate ſecundus:
Sedem hanc & caræ SOPHIÆ *vult coniugis, inde*
Rex amat hāc arcē, Regni, & per ſecla, CORONAM
Eſſe dedit nomen: ſed Virtus inclyta Regis,
Xerxis ſplendorem, Crœſi quoque vicerit aurum,
Deſpicit hac velut ex ſpecula Rex altus, vtrumq;
Arctoum, Occiduūmq; fretum: hinc & Scania lōgè,
Nec non fertilibus Selandia cernitur aruis,
Ius Regis cogit puppes hic ſiſtere curſum,
Æra dare: inde ratis felici nauiget aura.

H. Cunradinus Hamburg.

Epigramma in conuentum Odenſeicum.

Aurea Daniacis iam pax florebat in oris,
Et finita feri prœlia Martis erant:
Iam viguit toto felix opulentia regno,

Dum

Dum regis Arctoas, Rex FRIDERICE, *plagas.*
Cognatæ deerant ſed adhuc rata fœdera ſtirpis,
Hoc etiam ſapiens Rex meditatur opus.
Mox veniens niueis concordia fulſerat alis,
Fidaq́; erat Regi, Principibusq́; comes.
Huc duo iam tendunt Holſatæ lumina terræ,
*Dux & I*OANNES, *Dux & A*DOLPHVS *adeſt:*
*Venit ad hæc Regis frater quoque fœdera I*ANVS,
Iunior & pacis fecit amore vias.
Hi cum rege pio dextras, & pectora iungunt,
Et firmant ſtabili, pacta nouata, fide.
Danica Nobilitas, ſteterant, Holſatáque, teſtes,
Quæ fuerat Regem, quæ comitata duces.
Huc virides geſtant Pax, & Concordia, lauros:
Regis vt incingant tempora & alta ducum.
Lætáque adeſt terris huc pleno copia cornu,
Temperat & Nereus per freta ſalſa Notos.
Ne tamen hæc ſeris ignota nepotibus eſſent,
Latius hoc ferri poſſet & orbe decus:
Ingenio præſtans Crugerus, vt alter Apelles,
Teutonico pinxit geſta, duceſq́; ſtylo.
Qui legis hæc, dices, FRIDERICVM *condere Regem,*
Ad Boream populis aurea ſecla ſuis.

M. H. Conradinus.

Breden-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Bredenberga Arx D. Henrici Ranzouij, D. Ioannis filij H. Cunradinus.

Ianus poſt varij victricia prœlia Martis
Ranzouius Patriæ redditus atque ſibi:
Excelſam patrijs exſtruxit collibus arcem
Non procul à ripis cærule Stora tuis.
Bredenberga vetus tenet Arx firmiſſima nomen;
Qua ſua mellificæ regna tuentur apes:
Apta licet Martis ſedes, tamen aptior almæ
Palladis: hoc ſplendent arma vtriuſque loco.
Hic arcis dominus Martem colit atque Mineruam
Magnanimo Henricus pectore Ranzouius.
Tuta, fauente Deo, maneat, dum Vellula lætas
Sylua feret frondes, Storáque voluet aquas.

Aliud.

Arx ego ſum vallo & foſſa munita profunda:
Nomen de lato monte vocata gero.
Sex & ter centum Sol luſtra peregerat ingens
Ex quo natus homo Chriſtus in orbe fuit;
Cum patruele ſuo Fridericus bella gerebat,
Illo qui profugo Danica ſceptra tulit.
Hoc tunc me ſtatuit Johannes limite terræ
Ranzouio natus ſanguine clarus eques.

In domini ſtirpiſque ſtruens & prolis honorem
Condidit, hæc illi maxima cura fuit.
Reddidit ille animam ſuperis; ego duro ſuperſtes
Et mecum illius nomen, honoſq; ſimul:
Sic immota loco ſeros hoc ſpector in annos:
Et tanti eſſe viri nobile teſtor opus.

Aliud.

Cùm ſterili tumulus ſtarem infecundus arena,
Nilque meus ſentes præter haberet ager;
Me Satyri tenuere rudes, Fauníque bicornes,
Et quæ vipereo ſanguine monſtra ſcatent.
Quos vbi Iohannes ſubmouit nobilis heros
Ranzouius, cœpi cultior eſſe locus.
Ille valens animo & victricibus inclytus armis,
Eſſem munitæ, fecit, vt arcis opus.
Quam modò Pierides complexus mente venuſta
Filius Henricus perpolit arte ſua.
Sic mihi pro Faunis Mauors atque innuba Pallas
Mœnia tutantur: cætera habent Charites.
At te, Chriſte, precor, qui nutu cuncta gubernas,
Vt tutelaris Iuppiter eſſe velis:
Ranzouiumq; mihi & natos caroſq; nepotes
Cum longa ſaluos poſteritate dare.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

In Area Bredenbergenſi, hoc tetraſtichon legitur. H. R.

Si nihil ædificas, qui ſpectas noſtra viator,
Aut mea ne carpas, aut meliora ſtruas.
Si meliora tenes, id diuos poſcito mecum
Ne quod vterque tenet faſcinet inuidia.

In caſtro Wandesborch hi verſus conſpiciuntur.

Quum Wandesburgi Henricus fundamina iecit
Ranzouio clarus ſtemmate natus eques;
Bis quater & decies ſenis ſol addidit annis
Ter quina à cunis ſecula, Chriſte, tuis:
Tu, quem terra tremit, rutilans cui militat æther,
Fortunes caſtrum, Ranzouidumq́ genus.

In arce Melbecana, muro hoc diſtichon inciſum habetur.

Fridricus Daniæ tenuit cùm ſceptra ſecundus,
Hæc domus Henrici eſt condita Rantzouij.
Pulchrum eſt à Patribus iuſtè bona parta tueri,
Hæredi vt maneant inuiolata tuo.
Si tamen hæc propria vigilans cumulaueris arte,
Hoc equidem multò pulchrius eſſe reor.

In arcem Segebergenſem.

Inter magnificas & ſtructas montibus arces

Extulit antiquum iam Segeberga caput.
Quam nunc Henricus rurſus Ranzouius ornans
Deformem cultu non tulit eſſe locum.
Victis hac victor Lotharius arce trophæum
Saxonibus poſuit: priſca trophæa manent.

De Stora fluuio Arcem Bredēbergenſem preterlabente H. Cunrad.

Ortus ab Holſatis qui Stora paludibus exit,
Stormariam priſco nomine ſignat humum.
Ranzouicam refluens certa vice præterit arcem,
Veliferas alto portat & amne rates:
Hic latus Holſatæ ſtringit regionis, ad Auſtrum
Fœcundoſq; ſuo flumine reddit agros:
Piſce ſcatet, merceſq; vehit, ditatq; colonos;
Mixtus & Albiacis in mare fertur aquis.

In Cochlidem ſuam lapideam. H. R.

Hæc Cochlis exciſis, quam conſpicis, ardua ſaxis
Magnanimi donum principis illa mihi eſt.
Saxonica qui fræna tenet ſeptemvir in ora
Et pius Auguſtum nomine, réque refert,
Hic mihi donauit lapides, cùm miſſus ad illum
Dania cui paret, nomine regis eram.
Ipſe ſuum munus commendat muneris auctor,
Gratáq; ſunt magnis dona profecta viris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Ergo etiam nobis dono data principe tanto
Gratior hæc noſtra ſtabit in arce Cochlis.
Et ſpectaturis ſero teſtabitur æuo
Nobile ſe munus Saxonis eſſe ducis.

In fontem Bredenbergenſem.

Fons ego communem ſcateo fœcundus in vſum,
Tota domus de me commoda multa capit.
Nec precium poſco, nec egenti denego cuiquam,
Gratuitas ex me quilibet haurit aquas.
Vtq́; queam ſemper dare, nunquam copia dandi
Deficit, & damnis augeor ipſe meis.
Cùm prior egeritur, ſemper noua proſilit vnda
Dum ſucceſſuræ cedat & illa locum.
Si licitum eſt magnas paruis componere rebus,
Hi domini mores, qui meus author, erant.
Is patriæ talis (fas eſt laudare ſepultum)
Extitit, & multis munera larga dedit.
Eius erat domus vt portus communis, habebat
Hic ſibi mox promptam quiſquis egebat opem.
Vt faceret, vires & opes fortuna merenti
Contulit & larga præbuit vſa manu.
Sic patriæ, dum vita fuit, ſeruiuit amatæ,
Ereptam multis aſſeruítque malis.
Nec mercede caret, nunquam licet ipſe petiuit,

Gloria defunctum ſponte ſecuta manet.
Ad patris exemplum ſeſe componere natus
Hunc qui me cultum iuſsit habere ſtudet.
Sed mihi viuentem pudor eſt extollere verbis:
Qui legis hæc, illi fauſta precare, Vale.

In Apiarium Hen. Ranz.

Quam ſpectas apibus domus dicata eſt,
Ex magna ratione: nam propinqua
Quondam examen apum reſedit arce,
Huc latos procul aduolans per agros,
Cùm vix vndique iam parata ſtaret:
Quod fauſtum ratus omen eſſe, paruam
Hanc illis Dominus domum locauit:
Et ne deiiciant, iubet nepotes,
Neu quiſquam moueat loco, precatur.

Nympha Venatrix Horti, & piſcinæ cuſtos. H. R.

Huius Nympha loci, parui cuſtodia ſtagni,
Dormio, dum ſtando feſſa reclino caput.
Parce meũ huc, quiſquis venias abrumpere ſomnũ:
Seu tibi ſtare lubet, ſiue ſedere, tace.
Me meus Henricus Dominus cognomine Ranzou
Excubias horto iuſsit habere ſuo.
Si ſtrepitum facis & ſomnum mihi rumpis in horto,

Cla-

Clamabo furem protinus eſſe meo.

PAN.

Vt reor, indignum nemo ſcelus eſſe putabit,
Quòd volui pulchræ virginis eſſe comes.
At mihi ne iunctam thalamo quis credito: non eſt,
Haud adeò ſordet libera vita mihi.
Stulta meum rapit officium, ſeq́ꝫ ingerit vltrò
Atque meo cuſtos vult vigil eſſe loco:
Stultus ego contrà ſeruo vigilantior illam,
Et pariter mentem paſco, oculoſq́ꝫ meos.
Victa iacet ſomno, tu ſis quicunque caueto
Rumpere, ſoli hoc eſt fas licitumq́ꝫ mihi.
Si non obſequeris, fuſtem, falcémque recuruam
Non fruſtra ſumptos experiere mihi.

Equus Symbolon. H. R.

Fidus ego Domino, domini feror acer in hoſtes,
Dúmque libens alijs ſeruio, ſic pereo.

In Seminarium arborum. H.R.

ANNO Domini 1580. Henricus Ranzouius Friderici II. Regis Daniæ conſiliarius, tam vtriuſq; ducatus Schleſwicenſis & Holſatię quã Ditmarſorum gubernator ac loci tenens, has quercus ordine plantauit: abietes conſeuit, petulas in vallo diſtribuit, cæteraſq; arbores in hoc ſeminariũ aliunde trãſlatas

& ſatas coluit, foſſaque muniuit, ac initium ſationis aſſcribi iuſſit, eam ob cauſam, vt harum arborum ætatem explorare poſſit poſteritas, quam in omnia orbis ſæcula æternæ diuinitati commendat.

Aliud in idem. H. R.

Has ego conſeui quercus, petulaſq́ patenti
In campo, propria diſpoſuiq́ manu.
Et rogo ne temerè violet, lædátue ſecuri
Poſt mea qui tandem fata ſuperſtes erit:
Scilicet ex illis, quot quercus duret in annos
Poſteritas facilè diſcere ſera poteſt.

In Fontem D. Sixto ſacrum. H. R.

Non procul à celebris Bredebergæ mœnibus arcis
Fons eſt, qui Sixto creditur eſſe ſacer:
Corpora lethali qui febre leuare putatur
Horrida, quæ quarta luce redire ſolet.
Scilicet hæc virtus patuit per ſomnia Galli
Ex hoc qui medicas hauſerat æger aquas.
Hunc pius Henricus Ranzou reparauit, & illi
Reſtituit fonti, quod fuit antè, decus.

Laudes & commoda pacis.

Pax bona ſeruat opes, retinet cum ciuibus vrbes,
Pacis commoditas mitigat omne malum.
Paci conueniens grauium tractatio rerum,

Pacem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Pacem ſacra magis quo doceantur, amant.
Pax ceſſare facit violenti crimina ſtupri,
Pace quietus erit connubialis amor.
Pax parit ampla ſibi quærendi commoda victus,
Pacis ſuccreſcit tempore multa ſeges.
Paci iudicium quadrat, ius competit æquum:
Pacem ſectari gaudia vera ſolent.
Pax alit ingenium, præclaras excolit artes,
Pace nihil ſtabili dulcius eſſe poteſt.
PAX PACIS PACI PACEM CVM PACE PRECATVR,
Quando Deo ex toto pectore fidit homo.
Sancte Deus placidam noſtro da tempore pacem,
Hanc alius præter te dare nemo poteſt.
Sit tibi ceu patri lugens Eccleſia curæ;
Hanc modò ſaluifica pace beare velis.

Humanæ vitæ viciſſitudines.

Pauperies pacem dat, opes pax, copia luxum:
Sed luxus bellum, belláque pauperiem.
Fons amor eſt odij, vitæ mors, turba quietis:
Stant quæ deciderint, quæq; ſtetere cadunt.
Et capti capiunt, & qui domuere domantur;
Fit victi ſupplex, qui modò victor erat.
Sic plebi indomitæ, ſic ſunt ſua fata tyrannis,
Sic Deus alternas verſat in orbe vices.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Virtuti nihil eſt inuium,
ſic redditum.

Inuia virtuti nulla eſt via, perge labora;
Nitere funde Deo corde gemente preces.
Peruenies tandem quò mens contendit honeſta:
Reijcit in ventos impia vota deus.

Aliud Stigelij.

Fide Deo, & contra mundum feruentius ito.
Orandi ſtudium ne deſere: fungere iuſſo
Officio, feret hæc plenos tibi Regula fructus.

In Cupidinem furantem mella, depictum
in Tabula.

Pungit apis puerum Veneris, dum roſcida mella
Furatur, ſic ſunt dulcia mixta malis.

De duobus cauſidicis.

Agna lupos inter geminos, gallináq; vulpes,
Inter cauſidicos vir grauis ære duos.
Dic quem de tribus his poſitum in grauiore periclo,
Infortunatum quem magis eſſe putes?
Vir magis eſt felix, quamuis mulctabitur ære,
Ille tamen vita ſoſpite ſolus abit.

De Venatione.

Laudibus eximiis ars eſt decoranda Dianæ,
Si non exuperet cum feritate modum.

Reddit

Reddit enim timidos, proceres ad prœlia fortes,
Anxia lætificans corda dolore graui.
Mollitiem pellit, ſæuúque Cupidinis arcus,
Languida iucundo membra labore leuat.
Sternit apros, ceruóſque premit, qui damna colonis
Triſtia dant rudibus, dum malè farra terunt.
Suppeditatq; dapes, nigræq; alimenta culinæ;
Pellibus hirſutis corpora nuda tegit:
Ergo venandi ne tu contemne laborem:
Hic tibi quandoquidem commoda dicta feret.

Aliud.

H oc ſtudium patribus	*C ultũ quoq; teſte probatu*	*R*
E bræi vatis	*R elligione ſacr*	*A.*
N omine Eſau venãdi	*I nſignis laude quid? an no*	*N*
R obuſtus Nimrod	*S ic quoque clarus era*	*T?*
I nfeſtus ſi non ſis	*T riſti clade Coloni*	*S*
C ur refugis ſtudium?	*I ure fruare tu*	*O.*
V enari quiſquis	*N on gaudes Zoile, lux*	*V*
S is mollis licitum eſt,	*A ut piger vſque ſit*	*V.*

Aliud.

Si ſpartam Chriſti, quæ munere contigit, ornes,
Et facias pura conficienda fide:
Nunc leporem catulo, quid obeſt, exire ſagaci?
Nunc in frondoſo tendere rete iugo?

Ardua nunc in apro venabula condere diro?
Nunc vario ceruos exagitare metu?
Ipſe Deus generi dedit hæc animalia noſtro,
Quis tibi conceſſum ius prohibere poteſt?
Quid quòd ad arcendos faciat venatio morbos?
Qui bene venatur ſanior eſſe poteſt.
Quid quòd ſollicitis arentia corpora curis
Lætificet, vires ſuſcitet atque pigras?
Quid quòd militiæ ſpecies ſit magna tremendæ?
Horret ſiquis apros, horret & ille viros.
Quid quòd Oreſteæ radiantia tela Dianæ
Excutiant arcus ſæue Cupido tuos?
Præterea nigræ quod fert alimenta culinæ!
Nudáque detracta corpora pelle tegit?
Hactenus exiguis immenſa negotia rithmis
Explico, ieiunis cantóque vaſta ſonis.
Reſtringas autem nimium temnáſue ſequenda,
Occino, Venator ius violare ſolet.

Apollo arbiter, coram quo de præſtantia diſceptant, Venus, Iuno, & Diana Venationis Dea. H. R.

Margaridum niueam nectens Eris atra coronam,
Quæ minus ô Diuæ, noxia, tollat, ait.
Tum Iuno: Paridis dirimantur iurgia voce,

Num

Num venus hoc etiam iudice ſerta feret?
Phœbus adhæc: animos Iuno, ſed corpora Cypris
Corrumpit; virgo hæc ambo Diana fouet.

De Pyramide Ranzouiana Nordoe.

Apud pagum Nordoe nõ procul à ciuitate Itzoëſi erecta eſt Pyramis quadrata & in apice cacuminata ex albo lapide Buckeburgenſi ſupra montem conſpicuum, in quo olim Nymphas habitaſſe vetuſtas credidit, & conſtans rumor eſt: Quare autem pyramis hæc collocata ſit, inſcriptio illi inciſa declarat, quæ talis eſt vt ſequitur. ad ortum,

DEO TRINO ET VNI
SACRVM.

D. Friderico I. *Chriſtiano* III. *Friderico* II. *auo, patri ac filio Danorum Regibus pijs victorioſis, ac bene de ſe meritis.*

Henricus Ranzouius duorũ poſteriorum in Holſatia Vicarius, nec non Ioanni Ranzouio, Annæ VValſtorpiæ parentibus gratitudinis ergô tum ſibi ac vxori ſuæ Chriſtianæ ab Halle filiiſque ac filiabus Franciſco Bredoni, Friderico, Gerhardo, Theodorico, Caio, Ioanni, Magdalenæ, Catarinæ, Eliſabethæ, Oligardæ, Margaretæ & horum poſteris poſuit.

Anno Domini 1578. anno ætatis 53. Verſus meridiem continetur horologium ſolare, quod præter horarum diſcrimina indicat ſignum Zodiaci, in quo

Sol annuatim verſatur, ortum & occaſum eiuſdem additis ſequentibus verſibus.

Vmbra horas Phœbi deſignat climate noſtro,
Nodus, quod ſignum Sol tenet, arte docet.
Num ſolitum mutet poſt plurima ſecula curſum
Phœbus, poſteritas ſera notare poteſt.

AD SEPTENTRIONEM.

Conſtruxit tribus ex ordine Danorum regibus ſibi ac ſuis Henricus Ranzouius hoc monumẽtum poſteritas exoptatiſſima & vt inuiolatum maneat, rogat, æternæq; te diuinitati in omnia orbi ventura ſæcula commendat.

Anno à principio mundi 5540.
Anno à diluuio inchoato 3884.
Anno à Chriſto nato 1578.
Anno à nato Pſeudopropheta Mahomete 985.

AD OCCIDENTEM.

Henricus Ranzouius hoc latius memoriæ fratris Pauli ac Magdalenæ ſororis dedicauit.

Spes ſalutis ipſam ſæuitiam doloris leuat.

In Pyramidem Hen. Cunr.

Pyramis æthereas velut eſt educta ſub auras
Quæ iacuit plano Græcia clara ſolo:
Vt moneat nobis quærendas æthere ſedes,
Virtuti & proprias eſſe ſub aſtra vias:

Sic patulis Henrice tibi eſt quoque Pyramis aruis,
Condita quæ cæli fert caput alta plaga:
Vt moneat cœlum patriam poſt fata petendam
Qua virtus precium dulce laboris habet.
Pectora quadratum ſignat conſtantia ſaxum
Quæ leuis accurſu non mouet aura ſuo.

In Tabulam, Romæ ruinam ob oculos ponentem.

Vrbs ego Roma, patrũ quam ſcripta corona regebat,
Creſcebam, vt Phœbi dimidiata ſolet.
Aſt vbi me demens & cæca iuuenta gubernat,
Huius conſiliis funditus (heu) pereo.
Quiſquis adhuc populos ſceptro verbiſq; coerces,
O diſcas caſu cautior eſſe meo.

Aliter.

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis nec malus vllus erat.
Defunctis patribus ſucceſſit praua iuuentus,
Quorum conſiliis præcipitata ruis:
Ne ſimilis ſimilem caſum, da rector olympi,
Adducat noſtræ perniciem patriæ.

Ex Theognide.

Nemo hominum viuit, qui parte beatus ab omni eſt,

Qui

Qui ſapit inuicta ſpe ſua damna leuat.
Alterius fortuna bonis mala plurima miſcet,
Vtraque ſunt æqua mente ferenda pijs.

In Tabulam, in qua depicti ſunt Reges, ac Principes Europæ ludentes, quos Imperatores Turca & Moſcouita, ſic alloquuntur.

Ludite ſecuri dum nos hoſtilibus armis,
Hungaricum rapimus Sarmaticúmque ſolum.
At niſi proſpicitis, quid res, quid tempora poſcant,
Hic ludus vobis exitialis erit.

Fecialis ſiue Heraldus.

Luditis ô proceres, & vos fera bella mouetis
Pace quibus debet gratius eſſe nihil.
Interea Turcæ ſi ceſſerit Hungarus armis,
Et celer à Moſcho Sarmata rura petet:
Quid ſupereſt proprios poſtquam ſæuiſtis in artus,
Quum reliquum corpus Barbarus interimat?
Mittite nunc ergo ludos, coniungite vires
Donec in afflicto corpore robur ineſt:
Inq́; hos infeſtis agmen conuertite telis,
Sic veſtra & patriæ gloria ſalua manet.

Paſquillus ad Germaniam.

Quò tua bellatrix abiit Germania Virtus?

Diſſi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Diſsimilis noſtræ tempore facta tui:
Vindelicis olim pepuliſti finibus Hunnos,
Imperium magno cùm ſub Othone fuit.
Ad Solymas arces victricia ſigna tuliſti,
Sceptriger Imperij cùm Fredericus erat.
Nunc procul à Tanoi ducentes agmina Turcæ
Danubij ferro depopulantur agros.
Interiit virtus Germanæ maſcula gentis
Merſa Gynæceis ebria ſympoſiis.
In tua graſſatur terrarum viſcera prædo,
Auſa nec hoſtiles es cohibere manus.
Te quibus oſtentas, nunc vtere grandibus haſtis,
Et quibus in circo ludicra bella geris.
His animoſa pias haſtilibus aſſere gentes
Si quid in audaci pectore Martis habes.
Ah pudeat Scythicis egreſſum finibus hoſtem
Militiæ nobis præripuiſſe decus.
Mollia dum ſequimur nos deſidis ocia vitæ,
Aſpera bellator prœlia Turca facit.
Dum cane venamur lepores, aut cuſpide damas,
Figimus, ille ſuo milite regna capit.
Deniq; nos tantum ſine ſanguine ludimus armis,
Ille gerit forti ſeria bella manu.
At generoſa tuis Germania conſule rebus;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Coge pharetratas vertere terga Getas.
Ipſa tuas vrbes è faucibus eripe lethi,
Et vetus imperij Marte tuere decus.
Si ſecura mali non propulſaueris hoſtem,
Triſtia crudeli vulnera clade feres.

De ſtatu Mundi.

Prælia crudeſcunt, gerit omnis natio bellum:
Omnia terribili regna fragore crepant.
Factio diſtractos in mutua vulnera ciues
Armat, & alterna clade dat exitio.
Vſuris exhauſta iacent patrimonia regum,
Vnciaq́ in fœnus nulla ſat eſſe poteſt.
Non modus in victu, non eſt in veſte decorum;
Corpora luxuries, luxus inanit opes.
Quiſque ſui ſeſe ſupra genus ordinis effert,
Contentuſq́ ſuo denegat eſſe gradu.
Nemo laborantis, nemo miſereſcit egeni,
Omnis in humano corde refrixit amor.
Integritas, ſincera fides, candorq́ receßit,
Melle fluunt linguæ, pectora felle tument.
Fœdera, contractus, commercia, pacta, forúmque
Mille ſophiſmatibus peruia, mille dolis;
A centro dimota ſuo, diſiectáque tellus
Intremit, horrendis concutitúrque modis:

AEſtuat inſolitis agitatum fluctibus æquor,
Eluuiem moles nulla coërcet aquæ.
Degenerant partes mutati enormiter anni,
Menſibus æſtiuis frigida torpet hyems.
Tempore non alio defecit crebrius vnquam
Luna peregrino lumine, Solq́ue ſuo:
Nec prius ignoti toties arſere cometæ,
Ventorum grauior nec fuit antè furor.
Annona in precio eſt, vix ære parabilis vllo,
Vnde fames multis ſæuit acerba locis.
In populos ſpargunt diræ contagia febres:
Nec mortis ſpecies vna, nec vna via eſt.
Deniq́ue ceu longo labefacta puerpera nixu
Anxia, ſemianimis plena dolore gemit:
Sic defeſſa malis natura fatiſcit, & optat
Exuuias oneris depoſuiſſe ſui.
O immenſe gigas qui ſuſtentantia mundum
Fulcimenta tenes omnipotente manu:
O lapis abſque manu de monte reuulſa ſuperno:
Rumpe moras, curſum corripe, Chriſte, veni.
Deſtrue ſuccidui reliquum quodcunque coloſſi eſt,
Exordire tuum protinus imperium.
In quo certa quies ſtat definita laborum,
Fixus vbi noſtri terminus exilij eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

INSIGNIA NOBILIS ET VETVSTAE RANZOVIORVM FAMILIAE.



Rantzouij rubra eſt clypei pars dextra: ſiniſtra eſt
Candida: ſed caſsis cornua bina gerit:
Cornua ſunt robur, Martis color alter, at alter
Pacis: vtrumq; ſatos nobilitate decet.
Forma quid hæc ſimplex? ſimplex fuit ipſa vetuſtas,
Simplicitas formæ ſtemmata priſca notat.

Enco-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Encomion Henrici Ranzouij ſcriptum à M. Rodemanno.

Qualis erat quondã, cùm maxima Roma vigebat,
Mæcenas Patriæ gloria prima ſuæ:
Talis apud Cimbros, cùm res ita publica poſcit,
Ranzoui es patriæ fida columna tuæ.

Aliud ad H. R.

Sunt tibi cùm Regum, tum publica commoda curæ,
Nec tamen Aonidum munera grata minus:
Regibus & patriæ pariter Muſiſq; placere,
Quod facis, humanum vincit id ingenium.

De notis veræ nobilitatis ad eundem.

Virtus natales, multarum copia rerum
Nobile conciliant, efficiuntq; genus:
Cùm tribus excellas Henrice his laudibus vnus,
Ter gemina merito nobilitate viges.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

ANTVVERPIÆ EXCVDEBAT
CHRISTOPHORVS PLANTI-
NVS, ARCHITYPOGRAPHVS
REGIVS, ANNO M. D. LXXXI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 412 [53,-42 4°]